653

C
6

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS SAJNOVICS. S. J.
UNGARI TORDASIENSIS
E COMITATU ALBA-REGALENSI, REGIÆ SCIENTIARUM
SOCIETATIS HAFNIENSIS, ET NIDROSIENSIS SOCII

DEMONSTRATIO.

IDIOMA UNGARORUM ET LAPPONUM IDEM ESSE.

REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATI
DANICÆ PRÆLECTA
HAFNIÆ MENSE JANUARIO
ANNO
MDCCLXX.

HAFNIÆ,
Typis Orphanotrophii Regii, excudit GERHARD GIESE SALICATH.

Digitized by Google

Ideo minus Messala nitidus?
Quia quosdam totos libellos
Non de verbis modo singulis,
Sed etiam de litteris dedit?
Non obstant hæ disciplinæ
Per illas euntibus,
Sed circa illas hærentibus!

Quint. Instit. Lib. 1. Cap. 7.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 'SHAGE.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO DOMINO COMITI

OTTONI DE THOTT

DOMINO

IN GAVNOE STRANDEGAARD ET LINDESVOLD

ORDINIS ELEPHANTINI

EQVITI AURATO

CONSILII SANCTIORIS

CONSILIARIO INTIMO

CANCELLARIÆ DANICÆ

SUPREMO CANCELLARIO

IN COLLEGIO

DE CURSU EVANGELII PROMOVENDO

PRÆSIDI

ECCLESIARUM PER UTRUMQVE REGNUM

INSPECTORI GENERALI

ACADEMIÆ HAFNIENSIS

PATRONO

REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS

DANICÆ

PRÆSIDI.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIME DOMINE PRÆSES!

Non potuit Demonſtrationi huic meæ quidquam evenire honorificum magis, quam quod Lucem Publicam TUA potiſſimum VOLUNTATE ſubeunti, EXCELLENTISSIMUM NOMEN TUUM præfigi indulgeas. MAGNA nempe MENS TUA, graviſſimis licet Regnorum Negotiis nunquam non occupata, ad grammaticales quoque operas benigne reſpicere dignatur; Si præſertim ipſas cum aliquo Bonarum Artium Incremento conjunctas videat. Et talem

Digitized by Google

esse meam hanc opellam, quia TUUM est JUDICIUM, profiteri non vereor. Crescet per illam Idiomatis Lapponici cultus, quem TIBI cordi fuisse multis jam Argumentis comprobasti, & porro comprobabis, cum Lingua Lapponum *CERTAM, & STABILEM ORTOGRAPHIAM* AUCTORITATE TUA obtentura est. Cujus quidem defectum Eruditi usque huc sine remedii spe querulabantur. Eo autem facto non solum Lapponiam Universam Immortaliter TIBI obstrictam habebis, sed Magnam ab exteris quoque Regnis inibis Gratiam; Ungaria præsertim TE Idiomatis sui in extremo septentrione vigentis STATOREM prædicabit, & TIBI Linguæ vetustissimæ CONSERVATORI Vitam, Salutem, Prosperitatemque omnigenam advovebit. Tanta ego Vota jam nunc prævenio

EXCELLENTISSIMI

NOMINIS TUI

Devotissimus cultor

Joannes Sajnovics.

Digitized by Google

AD REGIAM SCIENTIARUM SOCIETATEM.

Mirabitur fortaſſis Regia Scientiarum SOCIETAS, ſibi a me, qui Diſciplinas cæteroquin Mathematicas, & Studia præſertim Aſtronomica profiteor, Diſſertationem præſentari Opera Grammaticali conſcriptam. At ſi rem penitius perveſtigare dignabitur, intelliget: a nemine alio majori jure, atque a me, hujus generis Diſquiſitionem ſibi fuiſſe exſpectandam. Linguæ enim Ungarorum, & Lapponum convenientiam, niſi aut natus Lappo inter Ungaros, aut Ungarus inter Lappones inquirat, definitam nunquam habebimus. Quidquid ea de re aliarum Gentium Viri, etiam Doctiſſimi, in medium attulerint, præter conjecturæ probabilitatem, nullum certitudinis gradum obtinebit unquam! Atque inde factum exiſtimo: Ut, licet jam olim Cl. Rudbeckius Filius, & poſt illum multi alii, linguam Fennonum, & Lapponum cum Ungarorum Idiomate convenire luculenter ſcripſerint, ea tamen res parum valde, aut omnino nihil Eruditorum animos adverterit. Horum certe non pauci mihi e Finmarchia reduci, & idem aſſeveranti fidem abnegarunt penitus; alii vero rem, quaſi

tot

Digitized by Google

tot ſeculis ignoratam, Novæ Inventionis laude decorare non dubitarunt. Nempe licet Authores Illi ſimilitudinem inter Gentium harum Linguas intercedere dixerint aliquam, neque tamen quanta illa ſit? definire, neque affertum ſuum certis argumentis comprobare poterant, cum pauci eorum Linguam Fennonum, & Lapponum noſſent, Ungaricam vero omnino nullus.

Aſt ego, quem in Ungaria ab Ungaris Progenitoribus naſci, & educari contigit, quique Sermone Patrio publica compluribus annis munia pertractavi, pulcherrimam inſuper opportunitatem in Linguam Lapponum inquirendi nactus ſum, quando cum Cel. Viro R. P. MAXIMILIANO HELL, e S. J. Aſtronomo Cæſareo-Regio Univerſitatis Vindobonenſis a Potentiſſimo Daniæ, & Norwegiæ REGE CHRISTIANO VII. obſervandi Tranſitus Veneris infra diſcum ſolis cauſa Wardoehuſium ablegato, ab Ipſo delectus itineris ſocius, Finmarchiam petii, anni fere ſpatio in eadem commoratus.

Hic enimvero inter Lappones verſari licuit Ungaro, Elocutionem ipſorum cum Ungarorum Loquela conferre, Vocabula utriusque Gentis combinare. Et, quod præcipuum eſt, Nomina ac verba conſtruendi modum, Affixis, & Suffixis utendi rationem inter ſe comparare. Quibus omnibus ita me ſpero demonſtraturum, IDEM ESSE IDIOMA UNGARORUM, & LAPPONUM, ut de hoc nemo Eruditorum, qui mea hæc legerit, porro dubitaturus ſit.

Quod

Digitized by Google

Quod autem operam meam in Disquisitione hac recte collocaverim, dubitare vix possum, si cogitem: de Illius Gentis agi Idiomate, quæ communi Historicorum consensu amplissima hæc Borealia Regna prima olim insedit, ingentesque Terrarum tractus Dominatione sua complectebatur. Quæ hodie quoque ab extremo Europæ, qua occasum, & septentrionem respicit angulo, per Finmarchiam, Lapponiam, Fenniam, Tartariam, in Asiam usque non interrupta serie protenditur. Et quamquam inter Populos, quos hodie Lappones nuncupamus, idem istud Idioma per plura secula quasi in obscuro delituerit, omnisque culturæ defectu jamjam interiisse credi poterat; meliorem tamen sortem in Fennia, Sveciæ Provincia, experiebatur, longe autem optimam in Florentissimo Ungariæ Regno; Ubi jam inde ab ATILÆ, & S. STEPHANI Primi Regis temporibus firmata, & stabilita, per tot secula egregie exculta, seu ubertate vocabulorum, seu concinna brevitate, seu intimos animi sensus explicandi dexteritate, nulli Orientalium, aut Occidentalium Linguarum inferior, multis autem certe superior evasit. Quæ quidem ea de causa dicta volui, ut iis animos adderem, quibus a Clementissimo Daniæ REGE, Ejusque Excelso MINISTERIO demandata est linguam Lapponum Finmarchiæ excolendi Cura. Neve sibi rem esse putent, cum Idiomate quopiam vago, intractabili, & nescio unde? consarcinato; Sed plane sibi persuadeant, Idioma Lapponum quemadmodum Vetustate, ita subtilissimis Regulis, & pulcherrimis Elocutioni-

bus, quin ipſa Suavitate Sermonis, ſi recte tractetur, plurimis aliis anteire, dignamque profecto, quæ non tantum ab interitu vindicetur, ſed & magis, magisque, qua licet, excolatur. Etſi autem noverim Lappones Finmarchiæ, cum Lapponibus Sveciæ, & Ruſſiæ, omnes vero hos cum Fennis in Idiomate conſpirare; & certis præterea argumentis compertum habeam Fennos, præſertim Carelios a Carelia Fenniæ Provincia ſic nuncupatos, ad Dialectum Ungarorum proximius accedere, mihi tamen in præſenti Diſſertatione de Lapponibus ſolum Finmarchiæ, atque Ungaris Sermo erit, tum ne opus in molem excreſcat, tum quia, ſi Lappones hos ab Ungaris maxime remotos, cum iisdem tamen in Idiomate convenire oſtendero, ſponte quaſi fluat, Lappones quoque Sveciæ, Ruſſiæ, & Fennones cum Ungaris conſpirare. Quis vero inde uſus in rem Litterariam, præſertim Hiſtoricam enaſcatur? Ita luce & palam eſt, ut a me hic exponi non oporteat. Illud ſolum itaque Illuſtriſſimam Regiam Scientiarum SOCIETATEM oratam volo, ut munus litterarium hocce meum, tanquam magnæ obſervantiæ meæ teſtimonium, benevole dignetur habere acceptum.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Idioma Ungarorum, & Lapponum Idem esse potest, quin loquentes se mutuo intelligant.

Prima multorum, dum de convenientia Idiomatis harum Gentium mentionem fieri audiunt, quæstio est: An Ungarus Lappones loquentes intelligat? longiores quippe veritatum demonstrationes pertæsi, tribus, ut ajunt, verbis convinci volunt. Quibus si affirmando respondeam, in meam protinus Sententiam abibunt, & Gentis utriusque Idioma idem esse, fatebuntur. Recte quidem istud, neque enim evidentius argumentum est ullum, diversarum Gentium Idiomata congruere quam, si loquentes, se mutuo intelligant. At Rem sane arduam, & difficilem, imo vero impossibilem hi Judices exposcunt; quamquam enim largiamur, utramque Gentem Ungaram nempe, & Lapponicam unum, eundemque olim Populum constituisse, eandem linguam, eandemque dialectum locutas fuisse, tamen, cum jam inde ab Anno Christi quadringentesimo, adeoque per 13, & quod excurrit, secula ingenti terrarum tractu divisæ sint, nulloque sermonis, aut convictus commercio usæ, evidenter sequitur, ad hoc, ut Ungarus Lapponem loquentem hodie intelligat, alterutrum ex his duobus accidere debuisse, nempe: *Primo.* Vel utraque Gens, tam Lapponica, quam Ungara Idioma suum primævum ab omni notabili mutatione, & dialecti variatione per 13 omnino secula immune conservare debuit; vel: *Secundo.* Si lingua primæva notabilem aliquam vicissitudinem, & mutationem inter Lappones passa est, eandem omnino mutationem perpeti debuisset apud Ungaros. Si enim Lappones primævam suam

 dialectum

dialectum notabiliter mutarunt, non item Ungari, in aperto est ratio, cur se hodie loquentes non intelligant? multo autem magis, si, dum apud Lappones primæva dialectus mutata est, eadem apud Ungaros quoque, sed alia ratione, diversoque modo permutata fuit. Primum ex his duobus, nempe: quod utraque Gens linguam suam primævam ab omni notabili mutatione per 13 Secula immunem conservaverit, nemo eorum credet, quibus Linguarum consvetæ vicissitudines perspectæ sunt. Fit enim ipso temporum lapsu, ut vocum complurium pronunciatio varietur, aliarum litteræ permutentur, transponantur, omittantur, quædam rariori usu sensim sine sensu oblitterentur, antiquentur, donec penitus oblivione deleantur, substitutis in earum locum aliis, crebro usu Civitate donatis. Elegantiæ præterea, brevitatisque studium magnas semper in linguis mutationes causare consuevit; ut adeo mirum non sit, ipsas post plura secula novam, & a prima multum distinctam formam accepisse. Hodiernus certe Germanus Veterum libros vix, aut ne vix quidem intelliget, hodiernam Danicam a veteri multam differre; utriusque periti optime norunt. Nordmannorum veterum lingua adeo exolevit, ut ipsas Juris Publici Leges, e Veteri in hodiernum Sermonem transferri oportuerit. (*) Tantas vicissitudines si patiuntur linguæ etiam florentes, & quarum perennitati fora publica, Litterarum commercia, Typographorum officinæ, quin ipsæ Saxorum inscriptiones patrocinantur, quantas quæso mutationes oportuit linguam Lapponum perpeti, quæ omnibus sese conservandi mediis destituta, sola traditione, & labili discentium memoria per 13 Secula ad posteros transmittenda fuit? Ego quidem plane persuasus sum, Veterem Lapponum, & Ungarorum Linguam mutatam, atque variatam esse, quæ quidem mutatio, si communi utriusque Gentis consilio, & consensu facta fuisset, hoc est: Si, quas mutationes fecere Lappones, easdem fecissent & Ungari, nihil obstaret, quo minus hodiernus Ungarus hodiernum Lapponem loquentem intelligeret, quemadmodum Dani hodie viventes se mutuo intelligunt. Sed hoc reipsa accidisse, cui

(*) Præstitum id est à D. Paus Jurato Scriba (Sorenskriver) Finmarchiæ. Viro variæ litteraturæ, Patriarum præsertim antiquitatum gnarissimo.

cui in mentem venire potest? Mutationes, quas lingua Danica successu temporis perpessa est, ipso convictus commercio per totum Regnum propagatæ innotuerunt, & usu receptæ sunt ab Universis: Sed mutationes a Lapponibus in septentrione factas, quis Ungaros edocuit? quis Ungaros, ut easdem mutationes facerent, adegit? quando nullo convictus, nullo litterarum, nullo Juris commercio has Gentes usas fuisse constat. Ergo dum Lappones primævum suum Idioma mutarunt, poterant mutare & Ungari suum, sed aliter, & diversa ratione mutasse credendi sunt, ut adeo minime mirum videri debeat, hodiernum Lapponem ab Ungaro non intelligi, quin potius maxime mirandum, & præter consuetam Linguarum vicissitudinem foret, si se mutuo hodieque intelligerent.

His ita præmissis, ut quorundam quæstioni respondeam, ingenue proficeor; me Lappones Finmarchiæ loquentes non intellexisse. Quare rumor, qui Urbem hanc Hafniensem pervagatus est, me Lappones intellexisse, & cum iisdem sermocinatum fuisse, a veritate erat alienus. Unde autem originem duxerit? erit inferius referendi occasio. Quod si interea quis ex meo responso inferre vellet: *Ergo Idioma Lapponum ab Ungarico distinctum, & alienum est!* Is mihi præcipitanter judicare videretur. quamquam enim evidens argumentum sit, diversarum gentium idem esse Idioma, si loquentes se mutuo intelligant, futile tamen, & nullum omnino argumentum est, si dicas: *Diversæ Gentes se mutuo non intelligunt, ergo Idiomata ipsarum distincta, & aliena sunt!* Asserti mei veritatem sequenti inductione ostendam. Germanus, Anglus, Hollandus, Danus sese loquentes non intelligunt, constat tamen omnium horum Linguas e Germanica ortas, Germanas plane esse. Latinam doctus, non intelligit Hispanum, Gallum, Italum, quis tamen arguet, horum linguas a Latina esse diversas, & prorsus alienas? Fatentur omnes Moschorum, Polonorum, Bohæmorum Idioma reipsa esse Illyricum, licet nationes hæ se mutuo ægre intelligant. Utque propius ad rem nostram accedamus; Lappo Finmarchiæ Maritimus (*), non in-

 telligit

(*) Maritimi dicuntur, qui ad sinus Maris habitantes piscatu vivunt.

Digitized by Google

telligit Montanum. (*) Lappones Finmarchiæ non intelligunt Lappones Sueciæ, Lappones, Sueciæ diversas Provincias incolentes, se mutuo non intelligunt; licebitne propterea inferre: *Ergo Lappones Maritimi distinctum, & diversum Idioma habent a Lapponibus Montanis?* Item: *Ergo Lappones Finmarchiæ distinctum, & alienum idioma habent a Lapponibus Sueciæ?* Denique: *Quotquot sunt in Suecia Lapponicæ Provinciæ, tot habentur distincta, & diversa Idiomata Lapponibus variis propria?* Profecto argumentatio hæc, tot diversa Idiomata inter consanguineas Gentes constituens per se jam absona, refragatur quoque Auctoritati eorum, qui magno labore, & longo usu harum Gentium linguas edocti, repererunt denique, eas unum, idemque Idioma esse, sed ob diversas tantumodo dialectos, vocesque enunciandi varietatem ab ignaris pro diversis, distinctisque Idiomatibus haberi.

De Lapponibus quidem Finmarchiæ testem habeo omni exceptione majorem Cl. D. Leem Linguæ Lapponicæ Professorem Publicum Nidrosiæ, olim quadriennio Missionarium, & Sexennio Altensis Communitatis in Finmarchia Pastorem. Postquam is 10 annorum usu Idioma hocce pertractavit, rem aggressus est omni laude dignissimam, primusque linguam Lapponum Finmarchiæ ad regulas revocare, observationibus illustrare, & Grammaticam conscribere instituit, quæ dein anno 1748 Typis Hafniensibus excusa in multorum hodie manibus versatur. Adverterat optime Cl. hic author Lappones Maritimos Finmarchiæ non intelligi a Montanis, & vice versa; neque tamen hoc in diversitatem Idiomatis retulit, ut imperiti faciunt, verum ex diversitate duntaxat dialectorum oriri agnovit. Unde in Præfatione monet discipulos: ne animos desponderent, si, quod futurum præviderat, postquam ex hac Grammatica linguam condidicerunt, inter Lappones versari ceperint, si inquam, eos loquentes non intellexerint, causamque subjungit, id nempe eventurum ob diversitatem dialectorum, non solum inter Montanos, & Maritimos, sed etiam inter Montanos ipsos, & longe etiam magis inter Maritimos, ad diversos

(*) Montani in silvis, & montibus cum suis Cervis Darandis (nulla certa statione), vagantur.

diversos maris sinus habitantes intercedentem. Imo, ut discipulis suis aliqua parte consuleret a pag. 371 suæ Grammaticæ ad pag. 388 de diversitate hac fusius disserit, quibus in vocibus, casibus, temporibus communiter eveniat? e quarum litterarum omissione, transpositione, adjectione oriatur? qua denique ratione una dialectus in alteram, adhibito modico ratiocinio, & observationum combinatione, transmutari possit? demonstrat, aperte contendens, omnes hos Lappones uno, eodemque Idiomate uti, & solis Dialectis variantibus discrimen omne adscribendum esse. Quæ si ita sunt: luculenter patet, inane esse illorum argumentum, qui ex eo, quod se loquentes hi Lappones non intelligant, inferre volunt: *distinctis, & diversis Idiomatibus eosdem uti.*

Quid vero de Lapponibus in Suecia degentibus judicandum? constat, quod, qui diversas Sueciæ Provincias incolunt, se mutuo non intelligant; censebimusne propterea, *tot distinctis, & diversis Idiomatibus distinctam esse Lapponiam Suecicam, quot diversis Provinciis distincta est?* Ita omnino censebimus, si cum Linguarum imperitis arguere libuerit. Interea multo aliter arguit D. Högström in suo opusculo de *Lapponia Suecica*, Suecice primum edito, & dein in Germanicum Sermonem translato, atque anno 1748 Hafniæ typis vulgato. Vir hic, & Missionarium, & Pastorem inter Lappones Suecicos multis annis dum ageret, insignem Idiomatis Lapponici peritiam assecutus, operis sui pag. 73 sic loquitur:

" Quod in hoc Idiomate variæ sint dialecti ubique notum
" est; quod autem re ipsa hæ dialecti in unum denique Idioma
" excurrant, & quod sola interdum pronunciatio diversa in
" causa sit, ut unus Lappo alterum non intelligat, sæpius, quam
" semel expertus sum. Non est quidem dubium, quod diffe-
" rentes dialecti sub diversis terminis eandem rem significatam,
" & interdum diversas res significatas eodem termino comple-
" ctantur. Interim tamen etiam adverti, quod eas voces, de
" quibus interpres, & alii linguæ periti Concionatores me secu-
" rum reddiderunt, ipsas in hac, vel illa Lapponiæ Provincia

" non esse in usu, ex ipsorum dein Lapponum ore perceperim; " licet iidem Lappones, dum ipsos prius de tali voce percon- " ctarer, responderint: se non intelligere. Hac ratione decep- " tum fuisse Schefferum constat: qui voces: *Wara*, *Jocki*, *Seibig*, " *Nisu*, solum in Pitensi provincia usitatas dicit, earumque loco " a Tornensibus usurpari: *Taerdar*, *Wirte*, *Owre*, *Kab*. Cum " tamen omnes hæ voces omnibus communes sint, & sola sig- " nificatione aliquantum differant, sic: *Taerdar* omnibus signifi- " cat *Regionem Montanam*. *Wara* autem, *Montem*. *Nisu* signifi- " cat apud omnes *Feminam*, *Kab* vero *Uxorem*. &c. &c. "

Idem Author pag. 74 hæc habet: " Quod si quis sciat, se- " cundum proprietates singularum dialectorum se dirigere, sciat- " que quomodo in aliis linguis litteræ unius Organi facile inter " se permutentur? & quæ illæ sint? & qua ratione permutatio- " nes hæ in diversis dialectis contingant? fiet, ut, re rite expen- " sa, paucæ voces in una dialecto reperiantur, quæ non, vel " variata pronunciatione, vel ratione radicis, & construendi me- " thodo etiam in reliquis dialectis reperirentur. "

Pagina 77 ita prosequitur: " De cætero ego quidem reperi, " quod licet sint variæ dialecti in Lapponia, diversitas tamen " non sit tanta, quanta est inter dialectos Suecanas. Accidit " enim mihi, qui Idioma Suecicum, bene calleo, ut Colonias " deprehenderim Suecorum, quorum Sermo adeo difficilis mihi " erat intellectu, ut initio Lapponice cum ipsis loqui cogerer, " cum tamen non ita multo post agnoverim, linguam ipsorum " esse vere, & pure Suecicam, sed aliquantum confractam. Inde " arguo: Lapponem unius dialecti facile, & cito alterius Lappo- " nis dialectum assecuturum, licet principio ipsi minime intelli- " gibilis videatur, quodque Schefferus de Finnis & Lapponibus " dicit; Nempe: *quamquam fieri possit, ut qui omnes linguæ Fin-* " *nicæ perspectas habeat dialectos, etiam in ipsis inveniat, hæc licet* " *usu vulgari discrepantia, in fronte convenire.* Id ego inter Lap- " ponum dialectos omnino reperi adeo, ut semper minorem, & " minorem differentiam inter eas invenerim, quo majorem lin- " guæ notitiam adeptus sum; & quod nemo plus contra diversi-

" tatem

" tatem dialectorum, & ipsas conciliandi difficultatem queratur, " quam illi, qui Idioma hoc omnium minime intellexerunt. "

Pagina 78 ita denique concludit: " Quia in variis libris " Lapponice editis, præter diversam ortographiam non invenio " tantum discrimen, quantum est in Suecicis scriptis, quæ se- " cundum diversas dialectos, in diversis Provinciis usitatas, pro- " diverunt, nullus dubito, futurum aliquando, ut in tota Lap- " ponia, una eademque dialectus usurpari, & intelligi possit, " æque secure, ac unica Biblia per totam Sueciam usurpantur. " quantumcunque aliqui seu ex ignorantia, seu præcipitantia " objicere contendant. "

Quid ad hæc dicturi sint, qui diversa inter Lappones Suecicos Idiomata eo solum ex capite adstruere volunt, cum sese Lappones diversarum Provinciarum non intelligant? equidem non video. . . Dicent forte: Dubium adhuc superesse, an non ad minus Idioma Lapponum Finmarchiæ, ab Idiomate Lapponum Sueciæ distinctum, & diversum sit? Cujus quidem dubii dissolvendi rationem optimam arbitror, si Grammatica D. Prof. Leem in usus Lapponum Finmarchiæ conscripta, cum Grammaticis conferatur, quæ pro Lapponibus Suecicis confectæ sunt. Harum habemus duas, alteram Cl. D. Fielström anno 1738 Stockholmiæ edidit, alteram ibidem D. Ganander anno 1743. Quod si ex harum collatione patuerit, præcipua doctrinæ capita convenire, & præter variam ortographiam, atque dialectorum varietatem, nullum singulare discrimen comparere, pronunciandum erit: Idioma a Lapponibus Finmarchiæ usitatum idem esse, cum Idiomate Lapponum in Suecia degentium. Neque tamen a me labor ista suscipi debet, cum pridem antea D. Leem eo defunctus sit, uti in Præfatione sua ad Grammaticam dilucide enarrat, seque reperisse testatur: præter varietatem dialectorum nihil discriminis inter Idioma Lapponum Finmarchiæ, & Sueciæ intercedere. Atque ex his demonstratum puto, diversarum Gentium Idioma idem esse posse, licet loquentes se mutuo non intelligant. Hoc est: Idioma Ungarorum, & Lapponum idem esse posse, licet ego Lappones loquentes non intellexerim. Adeoque Enthymema hoc:

Ungarus

Ungarus Lapponem loquentem non intelligit, ergo diversa habent idiomata. Falsum esse, & nullius ponderis argumentum.

§. II.

An Idioma Ungarorum & Lapponum Idem sit? ex libris harum Gentium investigari non debet.

Postquam ostensum est, de convenientia, aut diversitate Idiomatis judicium ferri non posse tum, cum diversæ Gentes se mutuo non intelligunt, aliam viam sibi ineundam putant quidam Critici, facilem illam, nec prorsus incertam, si cætera faveant. Nempe: Libros ab utraque natione editos inter se comparant; & siquidem videant, eundem sensum iisdem verbis in utroque libro expressum, Idiomata convenire profitentur, contra si accidat, diversitatem Idiomatum, quasi decretorio argumento comprobatam definiunt, præsertim, si ad ulteriorem disquisitionem faciendam, aut animus ipsis, aut otium desit. At enim, ut in similibus libris, iidem sensus, iisdem, aut prope iisdem verbis exscripti videantur, *Tria* existimo necessaria.

Primo. Ut uterque liber in sua Gente laudem puritatis obtineat, hoc est: ut liber v. g. Lapponicus scriptus sit vocibus vere, & genuine Lapponicis, & pariter liber Ungaricus voces vere Ungaras complectatur. Si enim in libro Lapponico copia vocabulorum occurrat, quæ recenter a D. D. Missionariis, librorum Authoribus, excogitatæ, & ex alio Idiomate in Lapponicam formam transmutatæ sunt, quis mirabitur eas in libro Ungarico non reperiri? Certe autem libri Lapponici, qui pauculi exstant, aut precatorii, aut ad Doctrinam Christianam pertinentes sunt. Cum ergo de DEO Summo, de Vita æterna, de Mysteriis Fidei nihil Lappones ante adventum Missionariorum noverint, neque vocabula his exprimendis apta habuerint, necessum erat, ut Doctores ipsorum vocabula undecunque accepta, his rebus imponerent, significationem novatarum vocum populo explicarent, & typis exscriptas voces Lapponibus memoriæ mandandas

das proponerent. Ita *DEUM verum* compellare docti sunt *Ibmel*, vel *Jumala*, desumpto nomine a veteri Lapponum Idolo, ita nomen *Sanctitatis* (*Passatas*) a superstitiosis festis ipsis relictum est. Dum interea Ungari sub S. Stephano primo Rege circa annum 1000 Christiana sacra amplexi omnes, DEUM *Isten* compellare edocti sunt, & *Sanctitatis* nomen per *Szent* exprimere. Cæteras ad DEUM, & Fidem pertinentes voces, undecunque acceperint Ungari, a Norwegis certe non; ut adeo in his similibus multum eos differre necesse sit. Infinitus forem, si reliqua vellem recensere vocabula, quæ licet in Lapponicis libellis prostent, imo etiam in sermone apud Lappones jam usitata sint, origine tamen sua minime censeri possunt Lapponica, sed, vel a Norwegis, vel a vicinis Suecis successu temporum mutuata. Tales certe sunt voces omnes, quæ ad Scientias, & Artes quomodolibet pertinent, item, quæ de statu Militari, Politico, de Agricultura, & Nautica &c. &c. inveniuntur. Pleraque item altilia, quadrupedia, piscesque de fama duntaxat Lappones noverunt. Ipsum nomen Panis (*Leibe*) vix inducor, ut credam, vere esse Lapponicum, præterquam enim quod cum Germanico Lab, & Moschovitico *Gleba* multum conveniat, advertendum est, Populos hosce a tot jam seculis pane, proprie nuncupato, caruisse, & quamvis concedam olim ipsos, dum meliores terras incolerent, pane usos, postmodum tamen nomen sine re interiisse arbitror. Ut ut sit: adeo multis novatis vocibus Idioma Lapponum refertum est, ut vel in perbrevi oratione Dominica septem occurrant. Nempe 1. . . . qui es in *Cœlis*. 2. *Sanctificetur* nomen Tuum. 3. Adveniat *Regnum* Tuum. 4. *Panem* nostrum &c. 5. *Dimitte* nobis *debita* nostra. 6. Sicut & nos *dimittimus debitoribus* nostris. 7. Ne nos *inducas* in *Tentationem*. Hæc certe ex ejus arbitrio pendebant, qui primus in Idioma Lapponum orationem Dominicam convertit. Quid quod in similium rerum translatione, non modo novatis vocibus utantur Missionarii, sed Paraphrases etiam adhibeant oppido varias? placet adducere orationem Dominicam Grönlandorum, prout a D. Joan. Anderson, in suis *de Islandia relationibus*, germanice reddita est.

Vatter unser, der ist im Himmel, dein Namen werde (mit Lob) erhoben von den Menschen, das dir zugehöret, laß herkommen, in dem Worte von dir (handelnd) unterweise uns. Wenn du etwas willst im Himmel, laß das auch also geschehen auf Erden. Gieb uns heute unser Speise. Zörne nicht, weil wir unmüchtig, und dir ungehorsam gewesen sind. Die auf uns zürnen, auf dieselben zürnen wir nicht. Vertheidige uns vor dem Teufel, was nicht taugt, laß uns nicht berühren. Himmel, und alle Dinge gehören dir. Du bist groß, und preiswürdig allezeit. Amen. *Pater Noster, qui est in Cœlis, tuum Nomen (cum laude) extollatur ab homine. Quod Tuum est, sine ut adveniat. In verbo de Te agenti instrue nos. Si quid volueris in Cœlo, sine illud etiam sic fieri in terra. Da nobis hodie cibum nostrum. Noli irasci, quod nos inutiles, & Tibi inobedientes fuerimus. Iis, qui nobis irascuntur, nos non irascimur. Defende nos a diabolo. Quod est inutile (malum) ne sinas, ut tangamus. Cœlum, & omnes res sunt Tuæ. Tu es magnus, & laudabilis semper.* Amen. Omitto alia hujus generis documenta. Solum adferam animadversionem Ill. D. Wöldike, in 2da parte Scriptorum Regiæ Societatis scientiarum Hafniensis, ita loquentis: *Missionarii*, inquit, *Danici 24 annorum spatio plures voces Danicas in linguam Grœnlandicam induxerunt, quam veteres Norwegi quatuor, quæ in Grœnlandia exegerunt, integris Seculis.* Si autem simile quid etiam inter Lappones factum est, & ut fieret, par, quæ apud Grœnlandos erat necessitas, quid mirum, eosdem sensus in libris Lapponicis aliis verbis exprimi, quam in Ungaricis?

Alterum, quod necesse existimo, ut ex collatis libris judicium de convenientia Idiomatis ferri possit, est, ut uterque liber eadem dialecto scriptus sit; sicut enim dialectorum diversitas facit, ut loquentes se mutuo non intelligant, ita eadem in causa est, ut iidem sensus diversis vocibus expressi videantur. Quod tum maxime evenit, si hæc dialecti diversitas magnam partem consistat, in omissione, transpositione, permutatione litterarum talium vocabulorum, quæ in contextu orationis sæpius repeti, & juxta sese collocari solent: Uti sunt Pronomina, Suffixa, Interjectiones, verba itidem Auxiliaria. Cum enim ista frequentius recurrant, licet in singulis exigua mutatio accidat, tamen, cum in

longiori

longiori serie juxta se positæ comparent, diversitatem inducere videntur longe maximam. Nunquam ego mihi persuasissem, constructionem hanc Danicam: Gio mig en Drik Vand, eundem sensum facere, ac, Gib mir einen Trunk Wasser, nisi comperissem e dialectorum diversitate, vocum harum litteras varie transmutari, eamque transmutationem usu aliquo didicissem. Jam autem; cum Ungaros inter, & Lappones dialecti varietatem intercedere debere ex superiori § pateat, necesse foret eum, qui libros combinare vult, diligenter prius investigare, in quonam hæc diversitas consistat? quarum litterarum transpositione, permutatione, omissione &c. oriatur? imo hanc ipsam permutationem in alterutro libro adhibere deberet, tum demum an iidem sensus, iisdem, aut prope iisdem verbis expressi sint? judicare posset.

Quamquam ne tum quidem adhuc judicare poterit, nisi libri eadem ortographia exscripti sint. Atque hoc est *Tertium* illud, quod necessarium esse, supra memineram. Etsi enim diversitas dialectorum magnum in libros discrimen inducat, longe tamen majus inducere potest ortographiæ diversitas, quæ si sit paulo notabilior, uti est in casu nostro, actum omnino acturus est, qui libros conciliare laboraverit. Quia tamen de ortographia Lapponica Leemiana, & Ungarica paulo enucleatius infra dicturus sum, hic solum meminisse volui: Nunquam Vertumnum tot assumpsisse species, atque figuras, sub quot diversis ortographiis Idioma, de quo mihi sermo est, hactenus comparuit. Quisque libelli author jus sibi vindicat, ad suum sibi genium ortographiam efformandi (*) Vetus hæc est Ganandri querela, quam ut veram quoque ostenderet, quinque diversorum Authorum ortographias in sua Grammatica adducit, multum sane dispares, nempe: Tornæi, Granii, Lundii, Fielstromii, & Anonymi cujusdam, en illas!

(*) Cl. Ihre in Dissertatione de *Ortographia Lapponica* hanc licentiam, & confusionem inde oriundam, luculenter perstrinxit jam anno 1742.

Ortographia.

Tornæ.	*Gran.*	*Lund.*	*Fielſtr.*	*Anonym.*	*Latine.*
Atze	Aggie	Atze	Attie	Ackie	*Pater*
Jietze	Jegg	Jedz	Etz egje	Jegie	*Ipſe*
Oidzod	Auggud	Oitzot	Adtiot	Aggiod	*Accipere*
Ziatzie	Kiatzie	Ziatze	Tiatz.	Giatze	*Aqua*
Kotzot	Kuggud	Gaeckiot	Kottiot	Kotzot	*Vocare*
Zialme	Gialme	Zialme	Tialme	Gialme	*Oculus*

Quamvis vero quorundam Svecorum ortographia non penitus diſcedat ab Ungarorum ſcribendi methodo, diſcedit tamen multum in iis ſyllabis exſcribendis, quibus Idioma hoc ab omnibus reliquis tam orientalibus, quam occidentalibus linguis quaſi proprio ſibi charactere diſtinquitur. Ortographia vero, a D. Leem uſurpata, tantum differt ab ortographia Ungarorum, ut ſi conſtructionem Ungaricam ipſius ortographia exſcriberem, eam a nemine Ungarorum, non dico, intelligandam, ſed ne legendam quidem, atque pronunciandam eſſe certiſſime ſciam. Sic exempli gratia, voces has *Azhiam Zhioordaiaa megien*, Nemo Ungarorum intelliget. At, ſi ſcripſero . . . *Atyám Tsordája megyen*, protinus aſſequetur hunc ſenſum: *Mei Patris Grex ambulat.*

In tanta ortographiæ diverſitate, ſi adhuc alicui placuerit Biblia Ungarica, aut orationem Dominicam cum Lapponica conferre, id facere per me quidem poterit; pronunciabit procul dubio, Idioma utriusque Gentis prorſus nihil convenire, ſed effatum argumento nitetur a peritis linguarum Criticis vix probando, cum ad judicium de convenientia Idiomatis ferendum, libri conferri non debeant, niſi qui proprio Gentis Idiomate, & eadem dialecto, atque eadem prope ortographia exſcripti ſunt.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Idioma Ungarorum, & Lapponum Idem esse evincitur ex simili apud utramque Gentem vocum enunciatione.

Quotidiana docemur experientia, Gentium diversa Idiomata ipso enunciandi modo distinqui, ut, si diversis linquis loquentes audias, etsi Idiomatum ignarus, facile tamen judicare possis, aliud ab his, aliud ab illis, aliud a tertiis usurpari. Ita: si Hebræos, Græcos, Latinos, Germanos loquentes audiamus, diversitatem Idiomatum ipso aurium judicio statim compertam habebimus. Nempe habent Idiomata fere singula, in usurpandis certis vocalibus, consonantibus, & syllabis peculiare aliquid, & ita sibi proprium, ut in aliis non item reperiatur. Ungarorum certe Idiomati enunciatio ita singularis competit, ut vel hac sola ab omnibus adjacentium Populorum linguis se distinctam abunde probet. Eaque causa esse poterit, cur, licet varia Idiomata extera in amplissimo Regno passim usurpentur, puta: Hebraicum, Græcum, Latinum, Illyricum Germanicum, cum multis aliis ex his deductis linguis, nemini tamen, quod sciam, in mentem venerit, Ungaricæ linguæ convenientiam cum harum aliqua adstruxisse. Imo vero amant plerique Ungari, linguam suam *sine Matre genitam*, & *Virginem sine Filia* compellare. Illud certum: singulari huic enunciationi adscribendum esse, quod nemo facile exterorum, etiam longissimo usu, Idioma hocce condiscere valeat ita, ut ubi sermocinari ceperit, non illico appareat, eum exterum esse; nisi forte aliquis a puero inter Ungaros educetur. Faciunt hoc multiplices vocales, quibus Ungari præ aliis nationibus utuntur, tum consonantes quædam liquescentes, quarum enunciatio, etsi mollissima, plerisque tamen exteris vix imitabilis apparet. Denique litteræ *S*, varius, & multiplex usus. Speciminis loco sit: Litteræ *P*, *L*, *N*, *T*. Sequente *y* liquescunt, ut in vocibus: *Gyöngyetském*, (*Gemmula mea*) *Mely*, (*Pectus*) *Nyájas*, (*Blandus*) *Atya*, (*Genitor*) quarum pronunciatio non sine artificio addiscitur. Aliter deinde effertur: *Só*, (*Sal*) *Szó*, (*Vox*) *Zsidó*, (*Hebræus*) aliter *Ts*-

 ut:

ut: *Tsátsago*, (*Garrulus*) aliter *Tz*, ut: *Pitziny*, (*Parvus*) In similium litterarum, & syllabarum concursu quantam difficultatem sentiant exteri? optime Ungari novimus. Quid autem de enunciatione Lapponibus usitata sentiat D. Leem? audiamus. Postquam ergo fassus est, sonum Idiomatis Lapponici, ab omnibus sibi notis penitus distinctum, & diversum esse, Pagina 377. suæ Grammaticæ dicit: "Ne optimus quidem Magister capax est, "ita Idioma Lapponicum exscribendi, ut ipsius litteræ omnimode, & tam exacte respondeant Lapponum enunciationi, "ut lector exinde possit pronunciare voces Lapponicas recte, "& prout a Lapponibus pronunciantur." Etsi autem hic Cl. Author aliquanto nimium dicat, apparet tamen, enunciationem Lapponicam esse debere prorsus singularem. Certe discipuli Nidrosiensis miserandum in modum linguam suam torqueri querulantur, dum ad pronunciationem Lapponicam docentur accedere; genuinam enim omni ex parte qui assequeretur, vix ullus unquam erit. Interea, quamvis Lapponibus voces enunciandi modus singularis prorsus sit, mihi tamen ita familiaris accidit, ut, dum ipsos sermocinantes audirem, in Patria, inter Ungaros me versari crederem. Vocales Ungarorum omnes, consonantes itidem liquescentes, varios sonos litteræ *S*, & *Z*, eosdem prorsus, & æque frequenti numero apud Lappones existere comperi. Voces autem ipsorum, pronunciatu Norwegis difficillimas, tantam habui enunciandi difficultatem, quantam, Natus Lappo, hoc est: nullam. Quod ipsum advertentes Lappones sibi plane persuaserunt, me Idiomatis sui esse peritum, &, si opus foret, me cum ipsis sermocinari posse, fama sparserunt, quæ dein Hafniam usque penetravit. Reipsa autem occasio Disquisitionis hujus hæc erat.

Dum Mauersundii, qui portus est ad Finmarchiæ limites, adverso vento detineremur, loci Mercatorem invisimus; aderat quoque Venerandus D. Daass Missionarius illius Gentis, quæ ad oras vicini maris piscatu vivens, Carelianam se appellat, & ex Carelia olim huc advenisse traditur. Horum Careliorum quispiam fortuito cubile ingressus, jubente Missionario, orationem Dominicam recitavit. Ecce autem, præter voces aliquas, quas omnino

omnino intelleximus, reliquas enunciandi modus is erat, quem non nisi ex Ungarico ore sperare posses. Res ista R. Patris HELL suspicionem, Gentem Fennicam, & Lapponicam, cum Ungarica affinitatem habere penitus confirmavit. Atque ex illo jam tempore, me incitare non cessavit, ut in propiorem convenientiam Idiomatis Ungarorum, & Lapponum, ipso gravioribus occupato negotiis, inquirerem. At! quanam via disquisitionem aggrederer? nihil subsidii habebam ad manum, præter Grammaticam, & Nomenclatorem Lapponicum, Authore Leemio editum, utpote, quos libros Exc. Consil. Int. D. a STORM Christianiam transeuntibus magna humanitatis significatione, ne petentibus quidem obtulerat. Quod si Grammaticam hanc aperui, longam præceptorum seriem vidi quidem, sed Danico sermone, mihi ignoto conscriptam. Si Nomenclatorem inspexi, vocabula Lapponica meris fere vocalibus, & mirabiliter collocatis consonantibus, ita expressa inveni, ut, qua ratione legi, aut enunciari possent? nullo modo assequerer. Fateor, despondi animos, & ne nihil agerem, aliud egi. Sed R. Pater HELL iterum stimulator accessit, & si quando unam alteramve vocem in Nomenclatore deprehendimus, quæ paucis mutatis Ungarica esse posset, in ejus significationem operose inquirebamus, visuri, an etiam significatione cum Ungaris conveniret? At inquisitio hæc, ut dixi, operosa erat nimium. Cum enim in Nomenclatore significatio vocabulorum Lapponicorum lingua Danica exprimatur, mihi ignota, voces hæ Danicæ in Indice Nuclei Latinitatis exquirendæ erant primum, tum ejusdem Indicis ductu in Nucleo Latinitatis harum vocum significatio latina investiganda, ex qua demum concludere licuit, num vox Lapponica, quæ simul Ungarica videbatur, eandem in utraque Gente significationem obtineret? Labor hic per sese non amœnus, tædiosus insuper evasit ex eo, quod multæ voces Danicæ in Nomenclatore occurrentes, in Nucleo expressæ non fuerint; tum, quod sæpe tota disquisitione peracta deprehenderim, vocem Lapponicam, prout a me aliquantulum variata est, ut Ungarica esse posset, non idem significare apud Ungaros. Novæ ergo litterarum substitutiones erant faciendæ, & tota disquisitio a capite repetanda, frustrato sæpe altero itidem labore. Quid mirum, quod secundo desponderim animos? Donec scilicet Lappones e Montibus

tibus ad decem milliaria in continenti ſitis cum ſuis ad nos cervis Darandis adveniſſent. Hic enim vero, ut voluntati R. Patris HELL. (qui vel ex ipſa enunciandi ratione Idioma Ungarorum, & Lapponum idem eſſe, aſſeverare pergebat) facerem ſatis, diverſos Lappones in cubile accerſitos diverſarum rerum vocabula per interpretem interrogavi. Statim autem, præterquam, quod in omnibus pronunciationem plane Ungaricam adverti, plurimas reperi ipſa etiam ſignificatione cum Ungaricis conſpirare, adeoque vere Ungaricas eſſe. Omnes ego ortographia Ungarica exſcriptas chartæ diligenter commiſi. Id quia ſæpius factum, & quia diverſarum dialectorum Lappones ad Inſulam pervenire contigit, obtinui diverſiſſimarum vocum Elenchum amplum ſane, & ſuo tempore uſui egregio futurum. Atque ita de convenientia Idiomatum neque ipſe jam dubius, Diſquiſitionem totis viribus, quantum per neceſſarias occupationes licuit, aggreſſus ſum. Primo igitur, ne mihi moleſtias faceſſeret Linguæ Danicæ ignorantia, qua ſignificationes vocum Lapponicarum in Nomenclatore expreſſæ ſunt, Nomenclatorem ipſum in latinum ſermonem transferre cepi. Et vero D. Henn. Kaurüng loci Paſtore ſtrenuam in interpretando operam navante, intra paucas hebdomadas Nomenclatorem totum latine a me conſcriptum habui, unde vocum Lapponicarum cum Ungaricis collatio fuit longe facilior. Et quia noveram convenientiam Idiomatis diverſarum Gentium non ſatis demonſtratam ex eo, quod Catalogus texatur vocabulorum utrique Genti communium, niſi etiam oſtendatur, in modo declinandi nomina, comparandi adjectiva, conjugandi verba, affixis & ſuffixis utendi ratione &c. &c. utramque Gentem convenire, Grammaticam Leemii diligenter excutiendam ſuſcepi. Eodem D. Paſt. Kaurüng interprete uſus, Præcepta Grammaticæ ad rem meam facientia adnotavi, &, ſi quid dubii, vel incerti occurrerat, qua ratione inquirendum, & corrigendum eſſet? in adverſaria retuli. Quænam autem invenerim convenientiam Idiomatis Ungarorum, & Lapponum evidenter probantia, inferius referam, ubi prius de ortographia Leemiana, & Ungarica breviter obſervationes meas retulero.

§. IV.

§. IV.

De Ortographia Lapponica Leemiana, atque Ortographia Ungarorum.

Dum de ortographia Lapponica Leemiana loquor, nemo putet, me Viri æstimatissimi, & de publica Lapponum re optime meriti, laudibus velle derogare; labores ipsius, quos in excolendam hanc Gentem, seu decennali opera, seu editis libris impendit, (*) magnis semper præconiis celebrabuntur. Interea nec ipse Cl. Author Grammaticam suam ita ab omni nævo absolutam arbitratur, ut non essent aliqua, quæ ipse mutasset, aut mutata certe cupivisset, si aptioribus ad eam concinnandam subsidiis fuisset instructus. Sane, si vel tenuem Ungariæ ortographiæ habuisset notitiam, aut, si ei Ungarorum Grammaticas obtinere contigisset, nullus dubito, alia longe forma, atque figura Grammaticam Lapponicam exscripturum fuisse. Sed hoc in tanta terrarum, mariumque intercapedine vix optare, taceo sperare licuit! Pace itaque Cl. Authoris dicta sint, quæ seu de ortographia, seu de Grammaticæ ipsius regulis in sequentibus adserentur.

In ortographia sua utitur D. Leem vocalibus quinque *a. e. i. o. u.* Diphtongis vero (numero sane ingenti) Triginta novem nempe: *aa, ae, ai, au, ee, ei, eu, ia, iaa, iae, iai, iau, ie, iee, iei, ieu, ii, io, ioe, ioi, iou, iu, iui, iuo, oa, oaa, oaai, oe, oi, ou, ua, uaa, ue, uei, ui, uo, uoi, uou, uu.* Unde vocales cum diphtongis sumptæ numerum 44 adæquant, consonantibus non ultra 17 existentibus. Hac voces Lapponicas exscribendo methodo necessario factum est, ut non solum vocabula, sed lineæ integræ, imo totæ paginæ vocalibus litteris complerentur, prout vel obiter libros Lapponicos inspicienti patebit. Quæ res præterquam quod Scriptori, breves voces multis litteris exscribere

(*) Inter alia eminet opus ejus de Lapponibus Finmarchiæ, in quo vitam, moresque eorum recenset, & imaginibus æri incisis illustrat, Hafniæ anno 1768 Danico, simul & Latino idiomate editum in quarto.

Digitized by Google

exſcribere coacto tædium pariat, Editori apud Typographum augeat ſumptus, Lectori quoque moleſtiam cauſat a me minime prætereundam. Cum enim Lector videat in plerisque vocibus tres, quatuor, imo etiam quinque vocales juxta ſe poſitas, ambiguus hæret, quænam vocalem ſuum ſonum retineat? quæ cum præcedenti, aut ſubſequenti in diphtongum coaleſcat? & quod inde conſequitur: An vox duarum? an trium, an quatuor Syllabarum ſit? e. g. in voce *Vuoigi*, (*butyrum*) merito dubitabit, an ſit quatuor Syllabarum: *Vu-o-i-gi?* an trium: *Vuo-i-gi?* an duarum? *Vuoi-gi?* Ego ex ore Lapponum didici eſſe Syllabæ unius, & pronunciari eodem plane modo, quo apud Ungaros *Vaj*, (*butyrum.*) Sic in voce *Zbioaarve*, (*Cornu*) dubitabit itidem, an ſit Syllabarum quatuor, legique debeat *Zbi-o aar-ve?* an trium: *Zbioaar-ve?* an duarum: *Zbioaar-ve?* Ungari unica Syllaba efferunt, dicendo: *Szarv*, (*Cornu*) Pari ratione in aliis multis vocibus, litteræ vocales acervatim, ut ita dicam, junctæ vix extricabili labyrintho lectorem involvunt, niſi jam ante vocabulorum omnium, adeoque linguæ ipſius Lapponicæ gnarus eſſe ſupponatur. Juventuti præſertim e litteris ſyllabas formare diſcenti, laborem gravem nimium cauſari in propatulo eſt. Cogitanti vero mihi, unde potiſſimum hæc tanta vocalium multitudo oriretur? hæ cauſæ in mentem venerunt. *Primo.* Quia Idioma Lapponicum natura ſua valde Vocale, & ſonorum, vocibus abundat, quæ pluribus vocalibus, quam conſonantibus conſtant. Vocales præterea tam vario, tam multiplici ſono enunciantur ab hac Gente, ut ad Ipſorum ſonos exprimendos ordinariæ Latinorum vocales, atque diphthongi minime ſufficiant. Hinc D. Fielſtröm in Grammatica ſua pro Lapponibus Sveciæ utitur vocalibus Novem: a, e, i, o, u, y, å, ä, ö, & Diphthongis qvindecim ai, åi, au, åu, uå, äi, ei, uo, uö, ui, oi, öu, öi, ue, eu. Grammatica autem Fennica habet vocales 8. diphtongos ſedecim. *Secundo.* Quia D. Leem ad exprimendos quosdam vocalium ſonos Lapponibus proprios, utitur eadem vocali duplicata, *aa*, *ee*, *ii*, &c. Hic modus diverſos vocalium ſonos exprimendi, licet bonus ſit in Idiomate, in quo concurſus diverſarum vocalium eſt rarior, ut e. g. in lingua Danica; in Idiomate tamen valde vocali, hoc eſt: in cujus vocibus multæ, & variæ, & juxta ſe poſitæ vocales alioquin

alioquin occurrunt, ista vocales a se distinguendi ratio adhiberi non potest, quin magnæ molestiæ Lectori creentur. *Tertiam* causam esse adverti, quia D. Leem sonum certum, quarundam consonantium, quem Ungari liquescentiam appellant, exprimit adjecta iisdem consonantibus littera *i*, vel *je* Ubi quidem littera *i*, non est vocalis, neque cum præcedente consonante syllabam efficit, sed solum ostendit, illam enunciari debere paulo aliter, quam apud alias Gentes efferri solet. Quemadmodum ergo, hæ liquescentes consonantes frequentissime apud Lappones occurrunt, ita in ortographia Leemiana littera quoque *i* frequenter nimis comparet. Sic, e. c.

Quoties littera *N* apud Lappones liquescit, ei adjungit litteram *i*, in voce *Niaalom*, (*lambo*) littera *i* non sonat, neque vox trium est syllabarum, sed solum duarum *Niaa-lom*. Ungari, ut dein ostensurus sum, scribunt: *Nyalom*, (*lambo*). Idem facit D. Leem, quoties littera *G* initio vocis liquescit. Unde *Giermom* (*usum rationis aquiro*,) est duarum syllabarum littera *i* non sonante. Ungari scribunt *Gyermek*. Significantque (*Puerum*), seu qui usum rationis aquirit. Quodsi littera *P* liquescat in fine vocis, præter litteram *i* aliam adhuc vocalem adjungit Leemius, ut: *Vaggie*, (*Vallis*). Ungaris *Vallis* vocatur *Völgy*.

Præter litteras *N*, & *P*, apud Lappones liquescunt etiam, *T*, & *L*, non minus quam apud Ungaros. Sed harum Liquescentiam non satis advertisse videtur D. Leem, præsertim quod litteram *L* concernit.

Ad exprimendum sonum litteræ *S*, qui apud Lappones profecto varius est, dum ventum esset, tantam difficultatem sentit D. Leemius, ut in hæc verba prorumpat. " Difficultas ortogra-
" phiæ Lapponicæ, atque elocutionis oritur præcipue ex forti
" sibilo, & aspiratione litteræ S, quæ in multis vocibus occurrit,
" & ita frequenter, ut non tantum in eadem voce bis redeat,
" sed etiam in eadem syllaba bis reperiatur. Nec optimus, in-
" quit, Magister capax est, idioma Lapponicum ita exscribendi,
" ut ipsius litteræ omnimode, & tam exacte respondeant enun-

 " ciationi

" ciationi Lapponum, ut lector exinde possit pronunciare voca-
" bula Lapponica recte, & prout a Lapponibus pronunciantur."
Quod si ita est, optimos sane ortographiæ Magistros Ungariam habuisse oportet, cum experientia mea didicerim, nullam enunciationem Lapponicam, quantumcunque Domino Leem difficilis appareat, re ipsa esse tam difficilem, ut non ab Adolescente quovis Ungaro, scriptionis (ut sunt plerique omnes) gnaro, prompte in chartam conjici posset, & adeo accurate, ut quandocunque libuerit, eam iterum e charta enunciaturus sit sono plane Lapponico. An autem etiam alter quiscunque, non Ungarus, vocem sic scriptam, ita, prout Ungarus, enunciaturus sit? equidem vadem me non interpono. Sed redeamus ad nostra.

Litteræ *S* D. Leem eundem sonum tribuit, quem apud Latinos habet.

Sh, vel *Zh* vocat sibilum cum aspiratione, & in medio vocum, nihil interesse dicit discriminis, initio tamen vocum litteris *Zhi* particularem enunciationem tribuit, & distinctam ab *Shi*, quænam autem illa sit? non exponit. Denique distinctionem facit inter *dzhi*, & *tzhi* usu discendam. Ex his autem iterum patet, litteram *i* in exprimendo sono *Shi*, *Zhi*, *dzhi*, *tzhi*. Suo modo esse superfluam, & nihil aliud præstare, quam numerum vocalium, & oriundam inde confusionem augere.

An autem malo huic remedium adferri possit, & debeat? ad me omnium minime pertinere plane scio. Neque ego ista illum in finem dicta volui, sed ideo duntaxat, ut appareat, quantæ mihi molestiæ exhauriendæ fuerint, vel solius Leemianæ ortographiæ causa, dum in convenientiam Idiomatis Ungarorum, & Lapponum indagarem. Cum Interea Ungari mei ortographiam per plura secula egregie cultam obtineant, Brevem illam, facilem, certam, & ad omnes Lapponum sonos exprimendos Natam, Factam. Quænam illa sit? paucis videamus.

Utimur ergo Ungari vocalibus Latinorum quinque: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, his vocalibus interdum superinducimus accentum acutum *á*, *é*, *í*, *ó*, *ú*, quo facto sonum a priori distinctum obtinent. Quod si ab Ungaris vocalibus *o*, & *u*, duo puncta inscribantur

tur *ö*, *ü*, sonos duros, & Ungaris proprios expriment. (*) Hinc patet, Ungarorum accentuatam vocalem, æquivalere Leemianæ diphtongo duabus vocalibus constanti, & Ungarorum vocalem punctatam æquivalere Leemianæ diphtongo tribus vocalibus constanti. Unde, si inter duas vocales punctatas collocari debeat una accentuata, Ungarus utetur vocalibus tribus, Leemius vero octo, id quidem vix eveniet. Evenit e contra frequenter, ut vocalis punctata ponenda sit juxta accentuatam, aut una accentuata juxta alteram, in primo casu Leemius utetur vocalibus quinque, in altero quatuor, Ungarus in utroque solum duabus, compendio certe non contemnendo.

Illud quoque hodierna Ungarorum ortographia habet commodi, quod, si litteram *i* contingat cum præcedente, aut subsequente vocali in unam syllabam conjungi, adeoque virtutem suam vocalem amittere, quod, inquam, non littera *i*, sed *j*, (jotta) scribatur. (**) Sic non scribunt *Fözöie*, (*Cocus ipsius*) sed *Fözöje*, Leemius scribit: *Vuosshiuoie*. Hinc autem fit, ut dubium, quod vocalis *i* juncta alteri vocali faceret, omnino tollatur. Si D. Leem uti placuisset, hac scribendi ratione, e numero diphtongorum triginta novem, fere 20 eliminasset, omnes videlicet, quæ ex vocali *i* aliis vocalibus juncta efformantur. Et vero initio vocum, id ipsum diligenter præstat, neque scribit *iegn*, (*glacies*) sed *jegn*. prout Ungari scribunt *jég*, (*glacies*) quare idem in medio quoque vocum non faciat? ipse noverit. Sed satis de vocalibus!

Consonantes liquescentes apud Ungaros occurrunt quatuor, Nempe: *G. L. N. T.* Harum liquescentia designatur adjungendo ipsis litteram *y*. *Gy. Ly. Ny. Ty.* adeoque *y* apud Ungaros nec vocalis, nec consonans est. Easdem Liquescentias apud Lappones reperiri supra jam monui.

Varius sonus litteræ *S*, nullam ortographiæ Ungaricæ perito difficultatem parit; dum enim Leemius quinque diversos sonos

 apud

(*) Aliqui vocalibus *o*, & *u*, litterulam *e* superponunt.

(**) Veteres interdum *y* loco *j* adhibuerunt.

Digitized by Google

apud Lappones agnoſcit, exprimendos per *s*, *sh*, *zhi*, *dzhi*, *tzhi*, Ungari agnoſcunt ſex: exprimendos per *S*. *Z*. *Sz*. *Zs*. *Ts*. *Tz*. reipſa etiam inter Lappones ſextum ſonum inveni. Notandum autem veteres Ungaros ſonum *ts* per *cz*, vel *cs*, expreſſiſſe; (*) moderna plerorumque ortographia caret, littera *c*, ejusque loco in aliis caſibus utuntur littera *k*. Illud etiam notandum apud Ungaros litteram *S* non ſonare, ut apud Latinos, ſed quemadmodum apud Germanos ſch. Si vero ſonum exprimere velint, quem Germani, aut Latini per *S* deſignant, Ungari ſcribunt *Sz*. Littera *Z* apud Ungaros fortiter ſonat, quod ſi ſonum exprimere velint, quem habet Germanorum *Z*, ſcribunt *Tz*. Utrumque prudenti œconomia factum, cum enim ſonus per litteras *S*, vel *Z* exprimendus frequentius multo in Idiomate Ungarico recurrat, quam ſonus per *Sz*, & *Tz* exſcribendus, maluerunt ſonos rarius recurrentes duabus litteris exprimere, ut brevitati conſulerent. Atque hæc de ortographia dixiſſe ſufficiat. Jam enim patet, ortographiam Ungaricam ad exprimendos Lapponum ſonos ſufficientem eſſe, adeoque voces Lapponicas Ungarica ortographia exſcribi poſſe. Quod quidem a me neceſſario fieri debebit, ubi hanc, vel illam Lapponicam vocem Ungaricam eſſe, oſtendere voluero. Si enim voces Lapponicas, prout a Leemio in Nomenclatore ſcribuntur, Ungaris propoſuero, eas neque legere, neque pronunciare gnari, trans mare ablegabunt; at ſi litteris Leemianis alias, ex Ungarorum ortographia deſumptas, idem tamen ſonantes, ſubſtituero, Ungari voces Lapponum, & legent, & pronunciabunt, & intelligent, & quaſi conſanguineas, atque fraternas benevole complectentur.

§. V.

Reductio Ortographiæ Lapponicæ Leemianæ ad Ortographiam Ungarorum.

Cum convenientiam Idiomatis Ungarorum, & Lapponum in ſequentibus probaturus ſim, ex multitudine vocabulorum, quæ

(*) Hodie ſequimur Cl. Paris Papai, cujus Lexicon Latino-Ungaricum noviſſime Typis Academicis Tyrnaviæ recuſum, & Germanico quoque idiomate locupletatum proſtat.

Digitized by Google

quæ apud utramque Gentem eadem prorſus ſunt. Eadem autem vocabula, ſi diverſa ortographia ſcribantur, diverſa, & diſtincta eſſe appareant, neceſſitatem mihi impoſitam video, ortographiam Leemianam ad ortographiam Ungaris uſitatam, reducendi. Hoc eſt: in ſcriptione vocum Lapponicarum litteris Leemianis, litteras Ungaricas, idem ſonantes ſubſtituendi. Quod ut facere poſſem, præprimis ſonum litterarum a Leemio adhibitarum perſpectum mihi reddere debui. Quanam autem ratione id aſſequerer, quando D Leem plerarumque litterarum ſonos viva Inſtructoris voce condiſcendos relinquit? ergo, quoniam Inſtructore carebam, hanc viam ingreſſus ſum. Voces complures Danicas, quæ in Nomenclatore certis Lapponicis reſpondent, excerpſi. Lapponibus dein per intervalla ad Inſulam noſtram venientibus, per interpretem propoſui viſurus, quid eas Lapponice ſignificare dixerint? accidit plerumque, ut idem vocabulum, quod in Nomenclatore exſtabat, enunciarent. Hæc prout a Lapponibus enunciabantur, ortographia Ungarica diligenter exſcripſi, atque cum vocibus Lapponicis, a Leemio in Nomenclatore ſcriptis, contuli, vidique protinus, quænam litteræ Ungaricæ Leemianis reſpondeant. Ita factis plurimis combinationibus Tabellam Generalem mihi conſtruxi, cujus ductu voces Lapponicas a Leemio ſcriptas ortographia Ungarica ſine negotio exſcriberem. Quemadmodum autem Tabella hæc, magno mihi labore ſtetit, ita uſui jam erat egregio, &, ſi DEO videbitur, porro erit longe maximo. Iis autem, qui forte voces Lapponicas cum Ungaricis conferre voluerint, ita hæc eadem Tabula erit neceſſaria, ut ſine ipſa, oleum, & operam perdituros eſſe audacter enunciem. En illam!

TABULA

Digitized by Google

TABULA I.

Obſervationes exhibens, quarum ductu voces Lapponicæ a Leemio ſcriptæ ortographia Ungarica exſcribuntur.

		Loco litteræ	Scribi debet.
1.	Ungari litteram A ſono depreſſo enunciant, prout Dani AA. Unde loco Leemii AA ſcribitur ab Ungaro A . .	AA.	A.
2.	Litteram A ſi clare pronuncianda ſit, Ungari notant accentu acuto A'. Leemius ſcribit ſine accentu: A . . .	A.	A'.
3.	Cum Ungari, & Lappones litteram A ſono depreſſo pronuncient, & ad O accedente, Leemius interdum ſcribit litteram O, ubi Ungarus poneret: A . .	O.	A.
4.	Leemianum Æ, Ungarorum litteræ E' æquivalere certum eſt. . . .	Æ.	E'.
5.	Quoniam Ungari, & Lappones litteram E' pronunciant ſono ad I accedente, Leemius interdum ponit I, ubi Ungarus ſcriberet E'. . . .	I.	E'.
6.	Leemianum OAA reipſa reſpondet Ungarorum OA, vel OO ſeu O' . .	OAA.	O'.
7.	Ubi Leemius ſcribit UO, plerumque ſufficit Ungarorum U, interdum ponendum eſt ö	UO.	U, ö.
8.	Leemianum NI (ſequente vocali) certum eſt exprimi ab Ungaro, per NY . .	NI.	NY.
9.	Sic quoque loco Leemiani GI ſcribendum GY	GI.	GY.
10.	Leemius monet GN efferendum more Italico, cum aliqua liqueſcentia, Ungari ſcribunt NY	GN.	NY.

		Loco litteræ	Scribi debet.
11.	Quia Leemius liquescentiam litterarum T, & L Ungaris, & Lapponibus communem non satis adverrit, eam exprimere interdum negligit, interdum consonantes adjungit, quæ pronunciationem faciunt difficilem, & hoc indicium, liquescentiam Ungarorum latere. Interdum vero ZHI adhibet.	ZHI.	TY.
12.	Littera S Leemii, Ungaris scribitur SZ.	S.	SZ.
13.	Litteræ SH, & ZH apud Leemium sonant uti apud Ungaros S.	SH.	S.
14.	Litteræ ZHI Initio vocabulorum occurrentes ab Ungaro mutari debent in TS.	ZHI.	TS.
15.	Leemianum DZHI sonat ut Ungarorum ZS.	DZHI.	ZS.
16.	Leemianum Z, & TZHI Ungari exprimunt per TZ.	Z.	TZ.
17.	Sonum, quem Ungari exprimunt per Z, non solum Danis, sed etiam Germanis insolitum, Lapponibus autem usitatum, a Leemio interdum per S interdum per SS, semel etiam per SK expressum vidi. Unde in quibusdam casibus loco S, v. SS, v. SK scribendum mihi fuit Z.	S.SS.SK.	Z.

Has litterarum substitutiones fieri posse, quin sonus vocis mutetur ex viva Lapponum voce didici. In vocabulis Lapponicis, quæ sequenti Elencho continentur, Ungarice exscribendis, nunquam pluribus, quam fortasse duabus hujus generis observationibus utor. Ea enim, in quibus pluribus uti debuissem, sponte prætermisi, ne scilicet Lectori, qui de similitudine vocabuli Lapponici, & Ungarici judicio solum oculorum, non item aurium pronunciare debet, molestus essem.

§. VI.

De diversitate Dialectoram in genere.

Præcedentis Tabulæ ductu, voces Lapponicæ a Leemio scriptæ, fere omnes ita ortographia Ungarica exscribi poterunt, ut ipsas Ungarus, & legere, & Lapponico plane sono eloqui possit. An autem earum quoque significationem illico assequetur? in multis assequetur omnino statim, at nequaquam in omnibus, eveniet autem istud ob diversitatem Dialectorum, quam inter Ungaros, & Lappones intercedere aliquam nemo mirabitur, qui cogitat Gentes has 13 Seculorum spatio a se divisas nullo convictus, aut sermonis commercio usas fuisse. Si Fennones diversam a Lapponibus dialectum habent, si ipsi Lappones diversas Sveciæ Provincias incolentes, variis dialectis utuntur, si eadem diversitas inter Lappones Finmarchiæ Montanos, atque Maritimos intercedit, aliquam inter Ungaros, & Lappones quoque intercedere prorsus necesse est. Solet autem diversitas dialecti, ita vocabula litterarum additione, transmutatione, omissione &c. permutare, ut voces unius dialecti, ab altero alterius tantum dialecti gnaro vix intelligantur. Atque ut exemplis utar, quis unquam dicet: Band idem significare, ac Wasser? *Aqua*, nisi advertat, ab aliis litteras ſſ permutari in tt, dicique *aquam*, Watter, ab aliis litteram r, mutari in n, dicique Watten, ab aliis denique omitti litteras tte, dicique Band. Sic nisi quis dialectorum gnarus sciat, vocem Mor, *Mater*, eandem esse, cum Moder, hanc vero, cum Mutter, vocabula Mor, & Mutter diversæ prorsus significationis esse censebit. Constat a Danis litteram Germanicam ȝ penitus eliminatam esse, ejusque loco t, usurpari, dicique loco Zeit, *tempus* Tiid. Sonum litterarum Germanicarum ſch nusquam apud Danos reperies, sed ejus loco ſk. Neque dicunt Fiſch, *piſcis* sed Fiſk. pf quoque Dani mutant in p, & ch in g, loco Pfeil, *ſagitta*, dicendo Piil, & loco Flucht, *fuga*, Flugt. Vocalium præterea tanta permutatio est inter Danos, & Germanos, ut ad regulas revocari vix possit. Neque tamen hæc omnia Eruditos unquam inducent, ut Danorum linguam, a Germanorum Idiomate distinctam, & diversam esse pronuncient. Litterarum quidem constans permutatio,

tio, aut omiſſio, qualem nunc inter Danos, & Germanos exiſtere oſtendi, inter Ungaros, & Lappones locum non habet. Quotquot enim ſonis, & elocutionibus utuntur Ungari, totidem plane, & iisdem utuntur & Lappones. Indubio argumento: minorem diverſitatem inter dialectum Lapponicam, & Ungaricam, quam inter Germanorum, & Danorum loquelam intercedere. De ceteris autem litterarum transpoſitionibus inter Lappones, & Ungaros occurrentibus audeo dicere: quod ſi quis ſciat, ſecundum proprietates ſingularum dialectorum ſe regere, & quomodo litteræ unius organi facile inter ſe permutentur? & quæ illæ ſint? & qua ratione in diverſis dialectis ipſæ contingant? audeo dicere: nullam fere Ungaricam vocem reperiendam, quæ non inter Fennos, aut Lappones Sveciæ, aut certe inter Lappones Finmarchiæ itidem reperiatur. Quodſi tamen aliquæ repertæ non fuerint, erunt reipſa paucæ, & æque parum exinde diverſitas Idiomatum probabitur, quam parum probatur diverſitas Idiomatis Germanorum, & Danorum ex vocibus, quæ in utraque natione diſtinctæ omnino deprehenduntur. Ne quis autem dicat, hanc perfectam dialectorum notitiam, a me optari magis poſſe, quam ſperari, is meminerit velim, noſtro ævo, complures jam libros in Gentium harum gratiam conſcriptos proſtare, Grammaticas præſertim, in quibus diverſitas dialectorum, & in quo ipſa conſiſtat? a peritis obſervatoribus ſucceſſive, & per partes in lucem publicam protrahitur, ut adeo recta harum obſervationum combinatione, recta de diverſitate dialectorum notitia ſine magno, & ſumptuoſo per has Regiones peregrinandi labore obtineri poſſit. Cujus rei fidem ut Lectori faciam, juvat adducere obſervationes quorundam in Lapponia Svecica factas, diverſitatem dialectorum concernentes.

D. Ganander quidem hæc habet: "Litteræ diſtingvuntur in *Linguales:* L. N. D. T. *Palatinas*, J. G. C. K. *Dentales*, " S. Z. R. *Labiales*, B F. M P. W. addit: litteræ unius organi " facile, *Labiales* autem frequentiſſime, interdum etiam *Lingua-* " *les*, & *Dentales* inter ſe permutantur." Exemplis adductis hæc illuſtrat, quæ brevitatis cauſa prætereo.

D. Fielström in sua Grammatica sic loquitur; " Differentia " Dialectorum potissimum consistit 1. in quarundam vocalium al- " ternatione. 2. in quarundam vocum differenti significatione. " 3. in quorundam casuum, & temporum terminatione. Diale- " ctus australior mutat *a* borealis in *i*, vel etiam vocibus a vocali " incipientibus præponit litteram *j*. Interdum una Dialectus vo- " ces Vocali exprimit, quas altera enunciat diphtongo. Dativus " singularis Numeri ab aliis in *e*, ab aliis in *i* terminatur. Ac- " cusativum alii per *m*, alii per *b* efferunt. Casui mediativo de- " sinenti in syllabam *in* a borealibus adjicitur littera *a*. Verbo- " rum prima Persona a plerisque terminatur in *am*, vel *em*, ab " aliis in *ob*, ab aliis in *of*. Vacalem ultimam secundæ, & tertiæ " Personæ indicativi Præsentis, Dialectus australior in plerisque " verbis absorbet, uti etiam vocalem ultimam Imperativi." Plura ejusmodi in Grammatica D. Fielström videre est.

D. Högström jam alias laudatus, pro sua, quam habebat, Dialectorum diversarum notitia, hæc adnotavit. " Si quis sciat lit- " teras *Bumaph* inter se permutari, facile videbit voces: *jackab*, " *jackap*, *jackam*, *jackaf*, & *jackaw*, idem reipsa esse. Item *tin-* " *tet*, *tiptet*, *tiftet* ... *gæb*, *gæw*, *gæwa* &c. Cum permutatione " aliarum litterarum eodem modo se res habet. Loco *dat*: *tat*. " Loco *asse*: *assie*. Loco *Golm*: *Kolm* dicitur. Neque præteriri " debet specialis transpositio consonantium, quæ in quibusdam " Dialectis reperitur. Sic voces, quas Australiores per *tk* effe- " runt, boreales per *rk* pronunciant. Unde *botkanet*, *ratket*, " *abro*, *dabredet*, aliis dicitur: *borganet*, *rarket*, *arwo*, *tarwetet*; " Pariter nihil insoliti est, ut una Dialectus copiam litterarum " voci adjungat; Australes certe voci a vocali incipienti libenter " præmittunt *j*. Sic Australium *jæno*, *jenem*, *jelet*, est Borealiorum " *æno*, *ænam*, *ælet*. Et quemadmodum Australes vocibus litteras " addunt, & ea propter a Borealibus non intelliguntur, ita Bo- " realiores quoque litteras adjiciunt suis vocibus, neque solum in " fine, aut initio ipsarum sed etiam in medio. Deprehensum " est, Ipsorum *harbma*, *jæremak*, *ædno* nihil aliud esse, quam " cæterorum *harma*, *jærmak*, *jæno*." Plura adferri possent ex Grammatica Fennica Aboæ edita, item ex Esthica Halæ impressa,

sed

ſed iſta, ut fidem Lectori facerem, attuliſſe ſufficiat. Quod autem ad diverſitatem Dialectorum inter Finmarchiæ Lappones Montanos, & Maritimos intercedentem pertinet, peculiari § pertractandum judicavi.

Præſtolabitur fortaſſe Lector, ut aliquid etiam de diverſitate Dialectorum in Ungaria loquar? at vero, cum Ungari quotidiano inter ſe commercio utantur, nulla talis in ſermone Ipſorum obſervatur diverſitas, quæ diverſa Dialectus compellari poſſit; paucæ ſunt voces, quas aliter Cis Danubiani, aliter Trans-Danubiani enunciant, optime tamen ſe mutuo intelligunt. Idem de Ungaris Tranſylvaniam incolentibus, qui ſe Székelyianos, ſeu Siculos appellant, eſto Judicium. Hi enim præter aliquot voces ſibi proprias, in elocutione quarundam vocalium duntaxat a cæteris Ungaris divertunt. Quorum autem enunciatio alteri præferenda ſit? Grammatici non definient. Ajunt Siculi: apud Ipſos linguæ Ungaricæ puritatem reſidere, ſed idem contendunt Ungari, Jázyges præſertim, meditullium Regni incolentes. Quamquam Comitatus quoque Caſtri Ferrei in R. P. Franciſco FALUDI è S. J. Verum Ungariæ Ciceronem dedit (*) & ad hunc proxime accedere Cl. P. Joannem Molnár vel ipſi Tranſylvani fatentur, dum opus ipſius pervolvunt de *Prodigioſis Veterum ædificiis* Ungarice ſcriptum. Quemadmodum autem Siculorum Idioma ipſiſſimum eſſe dixi, quo reliqui Ungari in Ungaria utuntur, ita e contra Idioma Sclavonicum, ſeu Slavonicum toto cœlo diverſum eſſe ab Ungarico, extra omne eſt dubium. Neque demirari ſatis poſſum Hiſtoricorum quorundam his in Borealibus partibus ſcribentium manifeſtum errorem, cum Gentem Sclavonicam, ſeu Slavonicam eandem cum Ungarica eſſe Duce Olao Rudbeckio Patre (Atalanticæ Tom. I. Cap. 3. §. 18.) affirmant. Verum quidem eſt, magnam Ungariæ partem a Sclavica Gente incoli, ſermone tamen, ſi paucas voces excipias, quas ab invicem mutuati ſunt, tam ab Ungaris differunt, quam qui maxime. Rectius hi ſcriptores facerent, ſi linguam Sclavonicam, ex Illyrica prognatam ſcriberent, Ungaricam vero a veteribus Scythis repeterent.

(*) Scripſit Idiomate Ungarico Officia Viri Aulici (*Udvari Ember*), & Mulieris Aulicæ (*Udvari Aſzſzony*) ſane eleganter.

terent. Sed his, ad propositum meum minus facientibus, supersedeamus.

§. VII.

De diversis Dialectis Lapponum Finmarchiæ.

Inter Lappones Finmarchiæ diversas dari Dialectos, & ego expertus sum, & D. Leem fuse exponit. Inter Lappones Montanos non ita magna est, cum aliquod inter se commercium habeant, quando certis temporibus in statis locis nundinarum causa conveniunt. Majorem diversitatem habent Lappones Maritimi inter se, cum ad varios maris sinus habitantes, rarissime se mutuo invisant. Maxima autem existit inter Lappones Maritimos, & Montanos, qui a se mutuo penitus sejuncti, & divisi vivunt. In quo autem hæc diversitas consistat? optime exponit idem D. Leem in sua Grammatica. Ego observationes ipsius in sequentem *Tabellam* collegi. Earum ductu vocem Lapponicam unius Dialecti, in vocem alterius Dialecti facile transmutare poterit quisque. Tabula eadem mihi erit usui, cum ostendere voluero, multa vocabula Ungaris propria, apud Lappones itidem reperiri. Sæpe enim Vox, prout Montanorum Dialecto effertur, ab Ungarica abludit, at si eam paululum harum observationum ductu permutemus, ut in Dialectum maritimis usitatam transeat, cum Ungarica plane conspirat. Quod ipsum me facere posse, bona Lectoris venia confido, seu enim vocem Lapponibus Montanis usitatam, seu vocem Lapponibus Maritimis receptam, cum Ungarica convenire ostendero, perinde est, cum & Maritimi, & Montani vere Lappones sint!

TABULA

TABULA II.

Exhibens obſervationes, quarum ductu vox Dialecti Lapponum Montanorum, in vocem Dialecti Lapponum Maritimorum, mutari poteſt.

Videatur Grammatica D. Leem a Pag. 731 ad 788.

		Loco litteræ	Scribi poteſt.
I.	Ubi alii B enunciant, alii enunciant P.	B.	P.
II.	Littera D ab aliis enunciatur ut T.	D.	T.
III.	Si littera B occurrat ante M, ab aliis mutatur in M.	BM.	MM.
IV.	Sic quoque D poſitum ante N, apud alios tranſit in N.	DN.	NN.
V.	Loco B vel P alii uſurpant V.	B.	V.
VI.	Frequenter permutatur F cum V.	F.	V.
	Ex combinatione harum duarum obſervationum patet, litteram F interdum commutari cum B.	F.	B.
VII.	Leemius docet ab aliis enunciari per F, quod alii efferrunt per K.	F.	K.
VIII.	Litteras G, & K promiſcue adhiberi ſcitur.	G.	K.
IX.	Monet Author in quibusdam vocibus ab aliis Z, ab aliis S (Ungarorum SZ,) uſurpari.	Z.	SZ.
X.	Etſi Leemianum ZHI communiter ſonet, ut Ungarorum TS, tamen voces ſic ſcriptas alii enunciarunt per S, alii per SZ Ungarorum. ex. gr. *Zhialme*, alii enunciarunt *Tsalme*, alii *Selme*, alii *Szemme*. Quam autem affines ſibi ſint hæ elocutiones? Ungari noverunt.		
XI.	Quibusdam vocibus (teſte Leemio) ab aliis per aphæreſim præmittitur littera S. ſeu Ungarorum SZ.		

XII.

XII. Inter consonantes duas ab aliis vocalem interjici non est insolitum.

XIII. Est quoque, teste iterum Leemio, Lapponibus usitata Syncope Figura. loco: *Lokkujuvum* dicendo, *Lokkum.*

XIV. Ante litteram M alii collocant litteram L. quod etiam Ungaris usu venit.

XV. Observavi quoque Ungarorum F initio vocum ab Esthiis, Fennis, & Lapponibus in P conversum esse.

Harum observationum aliquas adhibendo etsi reipsa nihil aliud fecerim, quam quod vocem e Dialecto una, in alteram traduxerim, vidi tamen eadem opera in eum statum vocabula Lapponica Leemiana reponi, quem apud Ungaros hodiedum obtinent. Quid si illarum quoque permutationum habeatur ratio, quas inter Dialectos Lapponum Sveciæ, & Fennonum observari supra ostendi? plurima certe vocabula, quæ nunc ab Ungaricis discrepare putantur, cum iisdem conspirabunt.

§. VIII.

Idioma Ungarorum, & Lapponum Idem esse ostenditur ex vocabulis utrique Genti communibus.

Quotquot harmoniam inter Gentium diversarum linguas adstruunt, catalogum texere solent vocabulorum, utrique Genti usitatorum; id mihi quoque faciendum intelligo. Priusquam tamen Elenchum ipsum adscribam, hæc necessario præmonenda duxi.

Primo. In hoc Elencho nullum vocabulum Lapponicum adduco, quod non in Nomenclatore Leemii existeret. Neque ullam Ungaricam, quæ non in Lexico Ungarico Molnárij reperiretur. Idque propterea, ne quis existimet, me ad augendum catalogum, voces aut Lapponicas, aut Ungaricas mala fide retulisse. Imo vero plurimas Lapponicas, cum Ungaricis conspirantes, quasque ex

ex viva Lapponum voce didici, inter adversaria reservo, cum ipsas in Nomenclatore non invenerim.

Secundo. Ex hoc Elencho studiose exclusi omnia illa tam Lapponica quam Ungarica vocabula, quæ quoquo modo suspicionem movere possent, quod non sint Genti propria, sed ab aliis mutuata. Talia sunt: ad *DEUM*, & *Fidem* pertinentia. Item nomina ad statum *Politicum*, *Militarem*, *Oeconomicum*, *agrorum culturam* spectantia. Nomina item: *Terræ fructuum, altilium, domesticæ supellectilis* &c. &c.

Tertio. Quando propter diversitatem dialectorum e Tabula II. litterarum permutationem, transpositionem, additionem adhibeo, id raro, & caute præstare conatus sum, probe sciens, quod multi hac licentia abusi quidlibet faciant ex quolibet. Sed nempe eodem artificio, quo similitudinem vocabulorum probare volunt, dissimilitudinem produnt. Ego licet iisdem permutationibus uti possem, quas inter Lappones Sveciæ reperiri supra ostendi, ipsis tamen consulto abstineo, contentus illis duntaxat uti, quas D. Leem inter Lappones Finmarchiæ Maritimos, atque Montanos intercedere luculenter docet, & allatis exemplis demonstrat.

Quarto. Neque mihi sequendum duxi illorum exemplum, qui voces easdem sed in contrario sensu, a diversis Gentibus usitatas, pro argumento convenientiæ Idiomatum adducunt. Quare vocabula mei Elenchi apud utramque Gentem idem prorsus, aut idem fere significant. Si enim neglecta significatione omnia vocabula Lapponica adscribere vellem, quæ apud Ungaros quoque, sed in diversa significatione, reperiuntur, totum fere Nomenclatorem huc transcribere debuissem.

Quinto. Cum Nomenclator Lapponicus D. Leemii non sit perfectum Lexicon, nomina composita, & derivata pauca complectitur. Quare ignoscere debet Lector, quod in Elencho quoque meo composita, & derivata rarius, quam fortasse cuperet, obveniant. Sed defectus iste compensari abunde poterit, ubi

 amplum

amplum Lapponicum Lexicon Authore eodem Leemio lucem publicam viderit.

Sexto. Licet vi obſervationis 2. Tabulæ I. littera Leemiana A æquivaleat litteræ Ungarorum accentuatæ A'. id tamen non obtinet in terminatione verborum; hæc enim a Lapponibus ſono depreſſo, & ad O accedente enunciari certum eſt. Quod quidem in ortographia Leemiana exprimi deberet per geminum A, niſi brevitati ſtudeas. Ab Ungaris recte exprimitur per ſimplex A. Neque moveri quis debet, quod verba Ungarorum quæpiam in litteram K deſinant, dum Lapponum verba omnia deſinunt in M, apparens iſta diſcrepantia §. XI. tolletur. Præterea in vocum quarundam fine littera Leemiana *s* Ungarorum *sz.* æquivalens, revera in ore Lapponum ſonat ut Ungarorum *s.*

Denique. Si quorumpiam Lapponicorum vocabulorum ſignificationem, quæ in Nomenclatore Danico Idiomate exponitur, non plane ad amuſſim latine reddidiſſem, id Interpretibus meis a Benevolo Lectore ignoſci peto.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS

Centum quinquaginta Vocabulorum Ungaris, & Lapponibus communium.

Numerus vocabulo Lapponico præfixus indicat Paginam *Nomenclatoris Lapponici*, qua continetur vocabulum subsequens. Numerum sequitur vox Lapponica prout citata pagina a Leemio scribitur. Hanc excipiunt observationes *Tab.* I. quibus usus sum ad præcedentem vocem ortographia Ungarica exscribendam, eæque numeris Arabicis notantur. Romani autem numeri designant observationis *Tab.* II. quarum ductu vocabulum Lapponicum ob varietatem dialecti variari potest. Columna penultima voces complectitur Lapponicas ortographia Ungarica scriptas. Denique Columna ultima exhibet voces Ungaris hodie usitatas, prout ipsas in Molnárii Lexico reperire est.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
304. Ælam. ex observatione 4. scribendum est E'lam. Lapponibus significat *vivo*. Ungaris *vivo* significat E'lem, vel E'lek.	E'lam.	E'lem.
Æled. ex obs. 4. E'led. ex obs. vero II. scribi potest E'let. Lapponibus signif. *Tempus vitæ*. Ungaris *vitam*.	E'let.	E'let.
Æle. ex obs. 4. & omissa littera l, scribitur E'le. signif. Lapponice *vivens, vivus*. Ungaris E'lö idem significat.	E'le.	E'lö.
Ælo. ex obs. ut supra E'lo. Hoc nomine, referente Leemio, Lappones compellant *suas opes, divitias*. Ungari E'lés vocant *annonam, penum, victualia*. En *Opes* Lapponicas!	E'lo.	E'lés.
Æletam. ex obs. 4. E'letam. signif. *vivere facio*. Ungaris idem significat E'ltetem. E'laszkam: Lapponibus *revivisco* dicitur. Ungaris E'lesztem.	E'letam. E'lasz-kam.	E'ltetem. E'lesz-tem.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. ſcripta.	Vox Ungarica Molnárii.
377. Nielam. ex obſ. 8. ſcribi debet Nyelam. Ungaris, & Lapponibus ſignificat *glutio.*	Nyelam.	Nyelem.
Ex verbo Nyelem derivatur Ungarorum Nyelv, *lingua.* Cujus pronunciatio ſi cui durior videtur, is quæſo pronunciet vocem, Nomenclatoris pag. 604 ſcriptam: Niuovzh, *lingua. Linguam* (in ſenſu *Idiomatis*) Lappones dicunt *Gyel;* quod magis accedit ad Nyelv Ungarorum.		
Nielatam. ex obſ. 8. Nyelatam. Lapponibus, & Ungaris *ſino glutiri.*	Nyelatam.	Nyeletem.
486. Niaalom. ex obſ. 1. & 8. omnino ſcribi debet Nyalom. Ungaris, & Lapponibus ſignif. prorſus idem, nempe: *lambo.*	Nyalom.	Nyalom.
Ex hoc verbo Nyalom Lappones derivant Nyalme *os.* Ungari Nyál dicunt *ſalivam.*		
Niaalotam. ex obſ. 1. & 8. ſcribi debet Nyalotam. ex 3. autem ſcribi poteſt Nyalatam. ſignificat Lapponibus *ſino lambi.* Ungaris Nyalatom idem.	Nyalatam.	Nyalatom.
Niaalodam. ex obſ. 1. & 8. itidem ſcribi debet Nyalodam. Lapponibus eſt *lente, meditative lambo.* Ungaris Nyalódom prorſus idem.	Nyalodam.	Nyalódam.
349. Solve. ex obſ. 12. Szolve. Lapponibus ſignif. *ſinum oris.* Ungaris *os* dicitur Száj. Quod convenit cum Careliis, qui *os* dicunt Szu. Eſthii quoque *os* vocant Szui. cæterum Ungaris *vox* dicitur Szo.	Szolve.	Száj.

377.

Digitized by Google

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
577. Zulom. ex obs. IX. scribi potest Sulom. & ex 12. Ungarice scribetur Szulom. Lapponibus signif. *loquor*. Ungari *loquor* dicunt Szolok, vel Szolom.	Szulom.	Szolom.
27. Karodom. ex obs. 2. Károdam. Lapponibus signif. *blasphemo*, *execror*. Idem significat Ungaris Káromlom, Káromkodom.	Károdom.	Káromkodom.
390. Shiaalom. ex obs. 1. & 13. scribi deberet Salom. sed ex X. scribi potest Tsalom. & cum Ungarorum Tsalom significatione ad amussim congruet; utrisque nempe significat *garrio. verba do. impostorem ago.*	Tsalom.	Tsalom.
Shiaalas. ex obs. iisdem. & ex obs. 2. scribatur Tsalás. Ungaris, & Lapponibus significat *garritum*, *imposturam*.	Tsalás.	Tsalás.
Shiaallo. ex observationibus superioribus Tsalo. Ungaris æque, ac Lapponibus *impostorem* significat.	Tsalo.	Tsalo.
Quod si voces: Shiaalom, Shiaalas, Shiaalo vi observationis X. alicui placuerit ortographia Ungarica sic exscribere: Szolom, Szolás, Szolo: eæ erunt Ungaricæ, & significabunt: *loquor*, *loquela*, *loquens*.		
284. Aalon-dafte. Compositum ex dafte, *os ossis*, & Aalon. Significat Lapponibus *maxillam*. Ungaris áll, est *maxilla*, *mentum*.	Alon.	All.
319. Bouvs. ex obs. 3. & 12. scribitur Bausz. Lapponibus significat *labium*. Ungari	Bausz.	Bausz.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. ſcripta.	Vox Ungarica Molnárii.
gari quidem *labium* vocant Ajak. Sed *Myſtax* iisdem vocatur Bauſz.		
660. Zhialbme. expronunciatione Lapponum ſcribi poteſt Salme, vel Szemme. Significatque *oculum*. Ungari oculum vocant Szem. Fenni vero Szilme. Eſthii Szim. Carelii cum Ungaris Szem.	Szemme.	Szem.
189. Giet. ex obſ. VIII. Kiet. ſignificat *manum*. Eſthii Käzi. Fenni Keszi. Carelii vero Kez, & Ungari Kéz dicunt.	Kiet.	Kéz.
12. Garniel. ex obſ. 8. & VIII. Karnyel. Lapponibus ſignificat *cubitum*. Ungaris Karnyil eſt compoſitum ex Kar *brachium*, & nyil quaſi *brachii apertura*. Interea Ungari *cubitum* quoque dicunt Kar.	Karnyel.	Karnyil.
356. Nikke. Lappones vocant *cervicem*, *collum*, Ungaris dicitur Nyak.	Nikke.	Nyak.
Nauvgos. ex obſ. VIII. Nauvkos. Significat Lapponibus *contumacem*, *pervicacem*. Idem Ungaris Nyakos.	Nauvkos.	Nyakos.
62. Mieelg. ex obſ. 11. ſcribi debet Miely. Lapponibus ſignificat *pectus*. Ungaris Mely *pectus* dicitur.	Miely.	Mely.
50. Vuor. Lapponibus eſt *Sanguis*. Fenni *Sanguinem* dicunt Veri. Eſthii Verri. Ungari Vér.	Vuor.	Vér.
Vuoris. Lapponibus ſignificat *Sanguineus*. Ungaris *Sanguineus* dicitur véres, ſed ſi ex obſ. 7. Leemianum Vuoris ſcribatur Vöris. conveniet cum Ungarorum Vörös *ruber*, *rubei coloris*.	Vuoris.	Vörös.

169.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
169. Saeppe. ex obs. 4. & XI. E'ppe. Significat Lapponibus *bilem*. Ungaris idem.	E'pe.	Epe.
133. Mirko. ex obs. 5. Mérko. & ex VIII. scribi potest Mérgo. Lapponice significat *Venenum*, quod Ungaris Méreg dicitur.	Mérgo.	Méreg.
568. Vuodnom. Lapponibus significat *venor feras*. Unde fera ipsis dicitur Vuod. Ungaris Vad, *Venor*, Ungari dicunt Vadászom.	Vuod.	Vad.
207. Sorv. ex obs. 3. & 12. scribi debet Szarv. Lapponibus significat *cervum*. Ungari *cervum* vocant Szarvas.	Szarv.	Szarvas.
209. Zhioaarve. ex obs. 6. & 14. scriberetur Tsórve. sed ex obs. X. Szórve. Lapponibus dicitur *cornu*. apud Fennos Szarvi significat *cornu*. Esthii dicunt *Szarv*, prorsus ut Ungari.	Szórve.	Szarv.
Zhioaarvos. ex iisdem observationibus Szórvos. Lapponibus significat *caput Darandi cornibus ornatum*. Ungaris Szarvos est *cornutus*.	Szórvos.	Szarvos.
408. Zhiorra. ex obs. 14. Tsorra. Lapponice significat *agmen cervorum Darandorum*. Ungaris Tsorda est *agmen cornuti pecoris*.	Tsorra.	Tsorda.
389. Niuol. ex obs. 8. Nyuol. significat Lapponibus *sagittam*. Fenni dicunt Nuol, Estthii Nool, Ungari Nyil.	Nyuol.	Nyil.
Dolgge. ex obs. II. Tolge. significat *plumam*. Ungari *plumam* vocant Toll.	Tolge.	Toll.

401.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
401. Bæse. ex obs. 4. & 12. debet omnino scribi Bésze: & ex obs. VI. Fésze. Lapponibus significat *nidum*. Ungari dicunt Fészek.	Fésze.	Fészek.
89. Manne. ex obs. 2. scriberetur Máne. & significat Lapponibus *ovum*. Esthii dicunt Munna. Fenni Muna. Ungari Mony.	Máne.	Mony.
271. Vuosshiam. ex obs. 7. & 17. scribi debet Vösam. Sed ex V. scribitur Fösam, vel ex X. Fözam. Significat Lapponibus, & Ungaris *Coquo*.	Fözam.	Fözöm.
Vuosshiatam. ex obs. iisdem. Fözatam signif. utrisque *curo coqui*.	Fözatam.	Fözetem.
Vuosshius. ex obs. superioribus Fözus. Lapponibus, & Ungaris significat *coctio*.	Fözus.	Fözés.
Vuosshie. ex obs. ut supra Föze. Lappones vocant *cocum*. Ungaris est Fözö *Coctor*. Cocum enim proprie compellant *Szakáts*. Lapponibus *Szokos* est *res, quæ sub coctione tumescit*.	Föze.	Fözö.
331. Malees. ex obs. 2. scribi debet Máles. Lapponibus significat *quodcunque cibi genus*. Ungari Málé vocant speciem *placentæ dulcis, & plebis edulium*.	Máles.	Málé.
498. Vuoigi. ex pronunciatione Lapponis scribendum est Voj. *Butyrum* significat Lapponibus. Fenni quoque, & Esthii dicunt Voj. Ungaris Vaj, *butyrum*.	Voj.	Vaj.
373. Toppetalam. Significat Lapponibus *enutrio, educo*, & affinitatem habere videtur cum Táplálom, quod Ungaris idem prorsus significat.	Toppetalam.	Táplálom.

98.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
98. Bæresh. ex obs. 4. & 13. scribi omnino debet Béres. Lapponibus signif. *totam domus familiam.* Ungari *certum famulitii genus* vocant *Béres.*	Béres.	Béres.
8. Sakko. ex obs. 12. scribitur Szako. Lapponibus significat *prosapiam.* Habentque plura derivata elegantia, sed Ungaris jam ignota hodie. Unicum verbum *Szakok* in simili sensu adhuc usurpant. Unde: *ágyábul Szakott,* ipsis est: *ejus thoro progenitus, generatus.*	Szako.	Szakok.
141. Giærmom. ex obs. 4. & 10. scribendum est Gyérmom. Lapponibus significat, *usum rationis aquiro,* a radice Gyérme *ratio intellectus.* Ungaris, & verbum hoc, & ejus radix, & cætera derivata incognita sunt. *Pueros* tamen, seu *qui usum rationis acquirunt,* notissimo vocabulo Gyermek appellant. Cujus quidem vocis originem, & radicem apud Lappones nobis quærendam quis credidisset? Sed plurima alia hujus generis invenient Ungari, si novum Leemii Lexicon Lapponicum perlustrare ipsis placuerit.		
137. Mieel. Lapponibus signif. *mentem, ingenium.* Esthii dicunt Meel. Ungari Elme, quasi per anagrama.	Mieel.	Elme.
Simile anagramma faciunt ex Lapponico Keresz, quod *vehiculum Lapponicum* (Pulk) significat. Ungari enim *currus,* & *vehicula* Szekér vocant.	Keresz.	Szekér.
284. Duouvdam. ex obs. 7. & 11. scribitur Tuodom. Lapponibus signif. *scio.* Ungaris Tudom, vel Tudok idem.	Tuodom.	Tudom.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
Duodatam. ex obs. iisdem Tuodatam significat *facio sciri*. Ungaris Tudatom idem significat.	Tuvdatam.	Tudatom.
Duttevas. Significat Lapponibus *rem, quæ scitur, noscitur*. Ungaris *Tuttas* est *res nota, vulgata*.	Tuttevas.	Tuttas.
Tuodos. ex obs. 7. Tudos. Utrisque significat *sciens, noscens*.	Tudos.	Tudos.
521. Bisom. ex obs. 17. Bizom. Lapponibus significat *firmiter sto*. Ungaris autem *firmiter confido*.	Bizom.	Bizom.
Bisoladam, Bisodom, Bisotam. *Conor esse firmus*. Similia quoque apud Ungaros reperiuntur: Bizodalom, Biztam.	Bizoladam.	Bizodalom.
522. Bissol. ex obs. 17. Bizol significat Lapponibus *firmiter*. Ungari dicunt Bizony *firmiter, certe*.	Bizol.	Bizony.
110. Onokostam. ex obs. 3. Anakosztam. Lapponibus significat *suspicor*. Videtur accedere ad Ungarorum Gyonokosztam *suspicatus sum*, Gyanokozok Ungaris *suspicor*.	Anakosztam.	Gyanokosztam.
653. Onokosat. ex obs. eadem Anakoszat. Significat *suspicax*. Ungari Gyanokozás dicunt *suspicionem*, & Gyanokozo *suspicax*.	Anakosat.	Gyanokozás.
109. Vikke. ex obs. 5. Vékke. Significat Lapponibus *error, vitium*. Ungaris Idem est Vétek, vel etiam Vétke.	Vékke.	Vétke.
252. Vaidam. Vaidelam. Lapponibus significat *queror, accuso*. Ungari dicunt Vádolom.	Vaidelam.	Vádolom.

478.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
478. Zhiaskom. ex obs. 14. Tsaskom significat *percutio, tundo.* Ungaris Tsapom idem significat.		
536. Rangastam. ex obs. 2. & 12. Rángásztam significat *verbero.* Ungaris Rángasztom *hinc inde trabo.* Quod inter verberandum usuvenit.	Rángasztam.	Rángasztom.
626. Væratam. ex obs. 4. Vératam. Lapponibus est *punio, verbero* Ungaris Veretem signif. *verberari facio. Verbero* autem dicunt Verem.	Veratam.	Veretem.
536. Shiiggom & obs. 13. Sigom. sed ex X. Tsigom. Lapponibus signif. *punio castigo.* Uti etiam Tsigolam, Tsigodalom. Ungaris Tsigázom est *torqueo,* Tsigázo tortor, Tsiga *cochlea tortoria.*	Tsigom.	Tsigázom.
185. Zhiærom. ex obs. 5. Zhiirom & ex X. Sirom. Significat *fleo.* Ungaris Sirom idem.	Sirom.	Sirom.
Zhiærolas ex obs. iisdem Sirolás significat *fletus* Ungaris Sirolás, Siratás, Sirás. dicitur.	Sirolás.	Sirolás.
Zhiærotam. ex obs. superioribus, & 3. Siratam. Lapponibus signif. *fleo.* Ungaris *defleo.*	Siratam.	Siratom.
252. Biegom. Lapponibus est *Lamentor* de animantibus æque, ac hominibus usurpatur. Ungaris dicunt *Bögök.*	Biegom.	Bögök.
194. Buoshie. ex obs. 7. & 13. scribitur *Buse.* Significat Lapponibus *acerbitas, dolor.* Ungari *acerbitatem animi* vocant Bú, & Búsos *acerbus.*	Buse.	Búsos.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
176. Addom. Lapponibus est *do, tribuo.* non probo eorum opinionem qui id a latinorum *addo* derivant; cum Ungari quoque dicant, Adom. *do trado.*	Adom.	Adom.
Addetam. Signif. *dari facio.* Ungari dicunt Adatom.	Adetam.	Adatom.
Adde. Significat *eum, qui dat.* Ungarice Adó.	Ade.	Adó.
Adaldak. Significat Lapponice *donum.* Ungaris significare posset *rem datam. Donum* enim proprie dicitur Ajándék.	A'daldak.	A'daldak.
Addaltas. *Donum rem perditam invenienti, & restituenti dari solitum.* Ungari similem *mercipotum* dicunt A'ldomás.	A'daldas.	A'ldomás.
330. Mæredam. ex obs. 4. & II. Méretam. Lapponibus signif. *Mensuro.* Ungaris Méretem est *sino mensurari. Mensuro* autem *Mérem* dicunt.	Méretam.	Méretem.
Mærre. ex obs. 4. Mére. Significat *mensuram.* Ungari dicunt Mérö, vel Mérték.	Mére.	Mérö.
653. A'rvo. Significat *pretium rei venalis.* Ungari dicunt A'r, A'ro. A'rulok *venum expono.*	A'rvo.	A'r.
497. Zhieppe. ex obs. 14. Tsepe. Sed ex X. Szepe. Signif. Lapponibus *pulcher, artificiosus.* Ungaris Szép idem.	Szepe.	Szép.
206. Amees. ex obs. 4. & IX. Améz. Significat *mellitus.* Vox conjugatis propria, quasi diceres: *dulcissime rerum!* Ungaris *Mel* est Méz.	A'méz.	Méz.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
511. Loigie. ex obs. 10. scribendum est Loigy. Significat *mitem*, *mollem*, *mansuetum*. Ungarorum Lágy prorsus idem.	Loigy.	Lágy.
624. Uigio. ex obs. 9. Uigyo. Significat *verecundum*, *simplicem*. Estque pronunciationis difficilis, ut Ungarorum Egyigyö quod omnino idem significat.	Uigyo.	Egyigyö.
222. Bilam. ex obs. V. Vilam Lapponibus significat *mico*, *fulguro*. Ungaris Villam est *fulgur* a verbo Vilámlok *fulguro*, *coruſco*.	Vilam.	Villam.
Vielgad. Lapponibus *lux*, *albedo*. Ungari dicunt *lucem* Világ. *lucidus* világos.	Vielgad.	Világ.
536. Suongiar. ex obs. 7. & 10. Sungyar. Significat: *radium Solis*. Idem prorsus Ungaris est Suggár.	Sungyar.	Suggár.
49. Shiælgad. ex obs. 4. & X. Tsélgad. Lapponibus significat *radians*, *radiosus*. Ungari Tsillag vocant *stellam*.	Tsélgad.	Tsillag.
35. Zavagak ex obs. 16. & VI. Tzafagak. Significat *phaleras*, & *varia dependentia* quæ vestitui ornatus causa assuuntur. Eadem Ungaris in usu sunt, & Tzafrangak dicuntur.	Tzafagak.	Tzafrangak.
183. Rontzas. ex obs. 3. Rantzos Lapponibus significat *complicatus*. Ungaris *rugosus*, *plicatus*.	Rantzos.	Rántsos.
278. Gaure. verso *au* in *ö* erit Göre significatque Lapponibus *curvum*, *inflexum* idem Ungari dicunt Görbe.	Göre.	Görbe.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
58. Vuofs. ex obs. 7. & V. Buvs Lapponibus *largum*, *latum* significat, quod Ungaris dicitur Büv.	Buvs.	Büv.
593. Kuorras. ex obs. 7. Kurás. Significat *vacuus*. Ungari dicunt üres.	Kuras.	üres.
42. Ruddoi. ex obs. II. Rutoi Lapponibus signif. *infectus*. Ungari *infectum* vocant Rút.	Rutoi.	Rút.
Rudodom. ex obs. II. scribi potest Rutotom. significat *inficio*. Ungaris Rutitom prorsus idem.	Rutotom.	Rutitom.
620. Ruodzh. ex obs. 7. & 11. Ruty *turpem deformem* significat. Ungaris *turpis* est Rut, *turpitudo* Rutság, Rutólom *probris afficio*.	Ruty.	Rút.
481. Poikom. Lapponibus significat *excreo*. Ungari Pököm dicunt excreo, *ex spuo*.	Poikom.	Pököm.
Poik. Lapponibus *excrementum* significat. Ungaris *sputum*.	Poik.	Pök.
374. Ælam. ex obs. 4. E'lam. Lapponibus signif. *maneo*, *commoror*. Ungaris quoque E'lek est *maneo*, quasi *hic vivo*.	E'lam.	E'lek.
165. Mæggam. ex obs. 4. Mégam. Lapponibus significat *eo*, *ambulo*. Ungaris idem est Megyök.	Mégam.	Megyök.
Balgom. Balgadom. *Huc atque illuc vagor*. Ungaris idem prorsus est Ballagok.	Balgadom.	Ballagok.
Aagam. Præmissa aspiratione Hagom. Significat *gradior scando* apud utrosque.	Hagom.	Hágok.

Aagodom.

	Vox Lappor. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
Aagodom. Præmissa aspiratione Hagodom *lente gradior*. Ungaris Hágodok prorsus idem significat.	Hagodom.	Hágodok.
482. Gudjo. Dicitur apud Lappones significare *telam, qua sarcinas peregrinantes contegunt*. Ungaris *sarcinæ ipsæ* vocantur Gunya. *Tentorium* vero e tela extemporaneum appellant Gunyho.	Gudjo.	Gunya.
73. Vagie. ex obs. 9. scribendum est Vagy. Sgnificat Lapponice *vallem*. Ungaris *vallis* dicitur Völgy.	Vagy.	Völgy.
Var. Significat Lapponibus *montem* communiter *Saxosum* e quo prospectus in dissitum patet. Ungaris *arces in montibus plerumque structæ* dicuntur Vár. *Urbes mænibus cinctæ* dicuntur Város. & vox hæc Vár in mappa Geographica Ungariæ æque frequenter recurrit, ac in mappa Finmarchiæ.	Vár.	Vár.
Vardom. Varodom. Significat *in monte quasi in specula consistens prospicio*. Ungaris Várom significat *expecto*, & *specula* dicitur Várta.	Várdom.	Várom.
73. Metze. Significat *campum*. Ungari *campum* vocant Mezö.	Metze.	Mezö.
26. Ride. ex obs. 5. & II. scribatur Réte. Lapponibus est *pratum*. Ungari *pratum* vocant Rét.	Réte.	Rét.
188. Garde. ex obs. 2. & VIII. Kárte significat *sepes*. Ungaris Kert est *hortus sepibus cinctus*, & *sepio* dicunt Keritem.	Kárte.	Kert.
497. Suine. ex obs. 12. Szuine. Lapponibus significat *equisetum*, quo ex siccato in	Szuina.	Széna.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
in manicis, & calceis utuntur ad arcendum frigus, estque simillimum *fæno*. Ungari *fænum* vocant Széna.		
73. Autzhia ex obs. 16. Autza. Lapponibus significat *vallem angustiorem intra duos colles*. Ungari *plateam duplici domorum serie* comprehensam Utza dicunt.	Autza.	Utza.
632. Zhiaetze. ex obs. 14. & 16. Tsatze. Significat Lapponibus *aquam*. Et multum ab Ungarico Viz discrepat. Interim Fenni *aquam* dicunt Vezi. Esthii Vesszi. Carelii Vez.	Tsatze.	Viz.
566. Faule. Lapponibus significat *lacum* Ungari *fluvios* dicunt Folyo-viz quasi *fluens aqua*.	Faule.	Folyo.
402. Arve. ex obs. 2. A'rve. Lapponice *pluvia*. Ungaris A'rviz est *repentina aquarum exundatio*.	A'rve.	A'rviz.
537. Revzhia. Lapponibus significat littus *saxis*, & *Lapidibus carens*. Seu *ubi excensio e naviculis est commoda*. Ungari *vadum*, & ubi fluvius navicula trasmitti potest Rév appellant.	Revtsa.	Rév.
240. Jegn. Lapponibus significat *glaciem* Ungari dicunt Jég.	Jegn.	Jég.
Vuodzhie. ex obs. 7. & VI. Fodzhie sed ex 11. Fodye. Leemius dicit significare *glaciem*. Reipsa significat *gelu*, (*causam glaciei*). Ungaris *gelu* est Fagy.	Fodye.	Fagy.
Vuodzhiom. ex obs. iisdem. Fodyam. Recte dicit Leemius significare: *congelor*. idem Ungaris dicitur Fagyok.	Fodyam.	Fagyok.

273.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
273. Basked. ex obs. 17 & VI. Fázed Lapponibus significat *præ frigore digiti pruriunt.* Ungari Fazik dicunt *friget.* & *frigeo* Fázok.	Fazed.	Fázik.
283. Zhiidn. ex obs. IV. & X. scribatur Szinn. Lapponibus significat *carbonem.* Ungaris Szén idem.	Szinn.	Szén.
46. Kov. ex obs. V. Kop. Significat *Imaginem.* Ungaris Kép dicitur *imago.*	Kop.	Kép.
453. Top. significat *vaginam.* Ungari *vaginam* vocant Tok.	Top.	Tok.
207. Zhieek. ex obs. VIII. & X. Szeg. Lapponibus significat *angulum.* Ungaris *clavum.* Sed *angulum* Ungari dicunt Szeglet.	Szeg.	Szeglet.
347. Luokko. ex obs. 7. Luko. signif. *foramen.* Ungaris idem est Lyuk.	Luko.	Lyuk.
583. Daukom. ex obs. VIII. Daugom. *obstruo*, *obturo.* Ungari dicunt Dugom.	Daugom.	Dugom.
289. Lok. Lapponibus significat *Seram.* Ungari dicunt Lakat. Fenni, & Esthii *seram* vocant Lucku.	Lok.	Lakat.
Inde habetur verbum Lapponicum Lokatam. *obsero* quod Ungari efferunt per Lakatolom.	Lakatam.	Lakatolom.
528. Duorbom. ex obs. 7. Dorbom. Significat *projicere lapillos.* Ungaris *projicio* est Dobom.	Dorbom.	Dobom.
528. Kedge. Lapponibus significat *lapidem.* Ungari *lapidem* vocant Kö. Carelii Köv. Fenni Kövi.	Kedge.	Kö.
647. Liesso. Significat *Lente*, *remisse.* Ungarice idem Lassan.	Lasso.	Lassan.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
432. Laazhiidam. ex obs. 1. & X. Lassidam significat *lentesco remitto a vehementia.* Ungaris Lassodom prorsus idem.	Lasidom.	Lassodom.
197. Jottel. Lapponibus significat, *cito, celeriter.* Ungaris *jöttel jött* significat, *cito, celeriter venit.* Quasi per pleonasmum, *veniens venit.*	Jottel.	Jöttel.
371. Jorgom. Jorgidom. Significat *rotto, in circulum ago.* Hoc Ungari exprimunt per *Forgom, Forditom, Forgatom.*	Jorgom.	Forgom.
539. Vaanam. ex obs. 1. & 3. Vonam. Significat utrisque *trabo, extendo.*	Vonam.	Vonom.
Vaanatam. Vaanatalam. Vaanadaddam. idem, quod supra, significare dicit Leemius. Ungaris Vantatom est *sinò trahi.* Vonogatam, Vonzom. *trabo.*	Vonatam.	Vontatom.
190. Rokkal. Significat *colum* Lapponibus. idem omnino Ungaris Rokka dicitur.	Rokkal.	Rokka.
268. Zhiuolm. ex obs. 7. & 14. Tsolm. sed ex XIV. Tsom. ita etiam Lappo pronunciavit. Significat Lapponibus *nodum.* Ungari *nodum* vocant Tsomo.	Tsom.	Tsomo.
Zhiuolmam. ex obs. iisdem Tsomam. Significat utrisque *nodum facio.*	Tsomam.	Tsomom.
Zhiuolmodam. ex obs. ut supra, Tsomodam significat Lapponibus *nodis illigo.* Ungari dicunt Tsomozom.	Tsomodom.	Tsomozam.
562. Zhiagges. ex obs. 14. & VIII. Tsakes Signif Lapponibus *Saccum.* Ungari dicunt Zsák. Molnár scribit Sák.	Tsakes.	Zsák.

342.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
342. Gask. ex obs. 12. & VIII. Kaszk. Significat *medium, medio loco.* Ungaris idem signif. Köszt.	Kaszk.	Köszt.
23. Vaala-Kest. ex obs. superioribus Vala-Keszt compositum ex Keszt *medio loco*, significat Lapponibus intra *scapulas.* Ungaris idem dicitur Vála-Köszt.	Vala-Keszt.	Vála-Köszt.
195. Bælle. ex obs. 4. & VI. Féle. Lapponibus significat *dimidium.* Ungaris Fél idem.	Féle.	Fél.
187. Vare. ex obs. V. Báre. Particula optativa *utinam!* Ungari dicunt Bár.	Báre.	Bár.
55. Erit. vel Erijdi. ex obs. 11. Eridy. Significat Lapponibus *apage hinc! abi!* Convenit cum Ungarorum Eredgy. quod idem significat.	Erijdi.	Eredgy.
Fuos. ex obs. 7. Fus. Lappones utuntur *ad abigendos canes.* Ungaris est formula *homines* quoque *abigendi. Canes* abiguntur dicendo: Tzoki.	Fus.	Fuss.
589. Boddo. Lapponibus significat *Tempus.* Ungari tempus vocant üdö. Ungarorum formula salutandi est Jó üdöt! Lapponum autem buorre idet.	Boddo.	üdö.
612. Niarzo. ex obs. 8. scribi debet Nyárzo. Lapponibus significat *tempus quo nives solvuntur.* Ungari *æstatem* vocant Nyár. Non ante hanc solvuntur in Finmarchia nives.	Nyárzo.	Nyár.
649. Dalve. Lapponibus dicitur *hyems.* Ungari *hyemem* vocant Tél. *Ver* autem Tavasz.	Tálve.	Tél.

	Vox Lappon. ortogr. Ungar. scripta.	Vox Ungarica Molnárii.
356. Ja Lappo pronunciavit Ije. Significat *noctem.* Fenni dicunt Yo, Ungari Ej. unde *noctu* E'jel.	Ja.	E'j.
8. Nogom. Lapponibus signif. *quiesco.* Ungaris *quies* Nyugodalom. *quiesco* Nyugszom.	Nogom.	Nyugszom.
Aigie. ex obs. 10. scribi debet Aigy. Significat Lapponibus *levem somnum.* Ungaris *Somnus* est álom, sed ágy *lectum* vocant.	Aigy.	A'gy.
560. Vuoijom. ex obs. 7. & V. Bujom. Significat Lapponibus *ita aquas subire, ut oculis res eripiatur.* Ungaris Buvom, vel Buom est in genere. *Oculis me subduco.*	Bujom.	Bujom.

In gradibus consanguinitatis discernendis, & cognominandis Gens Lapponum æque accurata, & copiosa est, atque Ungari. Dum enim Ungarus Fratrem majorem natu compellat *Bátya*, Juniorem *ötse.* Sororem natu majorem *Néne*, minorem *Huga.* Lappones distincto vocabulo compellant Patris Fratrem *Seniorem* Patre, & distincto *Juniorem.* Item aliter nominant Matris sororem *Juniorem* Matre, aliter *Seniorem.* Aliter Prolem Fratris *Senioris*, aliter *Junioris* &c. ex his juvat aliqua adferre.

Pater Lapponibus dicitur *Atzhie*, vel *Atye.* Ungaris *Atya.*

Mater Lapponibus Montanis *Ædne*, Maritimis *Æinne*, convenit cum Ungarorum *Anya.* Ut autem jam hic videatur æqualitas affixorum; Lappo dicit: Meus Pater, *Atyám.* Mea Mater, *Ænnám.* Tuus Pater, *Atyád.* Tua Mater *Ænnád* prorsus Ungarice. Nam & nos dicimus *Atyám* (meus Pater) *Atyád* (tuus.) *Anyám* (mea Mater) *Anyád* (tua Mater.)

Frater a Lapponibus vocatur Veelj. seu ex observationibus superioricus Fél. vox hæc Ungaris significat *dimidium*, eaque utuntur

utuntur pro nominanda conjuge *Feleſég*, eam quaſi dimidium ſui compellando. Lappones uxorem dicunt *Akka*, Feminam in genere *Niszszon*, Ungari *Aszszony*.

Proles a Lapponibus vocatur *Menna*. Ungari *Meny* tribuunt *Nurui*, *Meny-Aszszony ſponſæ*.

Avus Lapponibus dicitur *Aigie*, ſeu verius *Ágy*. Ungari Avum vocant ös, ſed Fratriam *Ángya*. Cæterum Ungaris *Ágg* eſt *ſenex vetuſtus*.

Avia Lapponibus *Akko* Ungaris *ükkö*. *Vetulam* autem *Ágno* vocant Ungari.

Sororis filium Lappones dicunt *Næp*. Ungari *Nap* vocant *Socrum*.

Uxoris ſoror Lapponibus *Sivju*. apud Ungaros *Sü* dicitur mariti *frater*.

Orphanus Lapponibus *Ouarbes*, vel rectius *Arves*. Ungaris *Árva*.

Proles ultimo, & poſtremo partu edita utrisque dicitur *Vakarts*.

Si cuipiam quædam Lapponica vocabula ab Ungaricis longius diſtare videbuntur, ea e Catalogo hoc tuto eliminare poterit, remanebunt tamen centenis plura, quorum cum Ungaricis convenientiam ne ſeveriſſimus quidem judex in dubium revocabit. Et licet numerus iſte per ſeſe magnus ſit, longe tamen maximus evadet, ubi reliqua ex adverſariis meis, tum plurima, illa, quæ in amplo Lexico Lapponico latent, & disquiſitionem expectant, luci publicæ propoſuero. Nunc enim & præſtituta operi brevitas, & neceſſarii otii defectus me longiorem eſſe non ſinunt.

§. IX.

Idioma Ungarorum, & Lapponum Idem esse probatur ex Declinatione Nominum, Comparatione Adjectivorum, Formatione Diminutivorum, & usu Numeralium.

Etsi vocabula bene multa retuli, & multo adhuc plura referre potuissem, e quibus convenientia Idiomatis Ungarorum, & Lapponum luculenter sane ostenditur, non tamen hic mihi sistendum judicavi. Libet ultra progredi, & ipsas orationis partes *Nomina*, *Pronomina*, *Verba* ad Grammaticæ trutinam revocare. Quodsi ostendero has quoque orationis partes pari, aut fere pari ratione ab utraque Gente usurpari, nihil jam superesse video, quod ad plenam Asserti mei Demonstrationem Lector exigere posset.

De Nomine.

Tria consideranda veniunt: *Genus*, *Numerus*, *casuum terminatio*. Apud Ungaros *Generis* nulla est distinctio, neque ratione articuli, neque ratione terminationis. Nomina quæ animantibus diversi sexus tribuuntur distincta sunt, & diversitatem hanc per se demonstrant. Idem apud Lappones, & Fennones obtinere communi Grammaticorum consensu traditur, neque male se explicant dicendo: *Voces Lapponicas omnes, esse generis omnis*. *Numeri* apud Ungaros hodie sunt duo: *Singularis* nempe, & *Pluralis*. Præter hos apud Lappones Finmarchiæ *Dualem* insuper deprehendi, more scilicet omnibus fere orientalibus linguis usitato. Ut verum fatear hæc me discrepantia sollicitum reddidit. Verebar enim ne, si dicerem *Dualem Numerum* longo non usu apud Ungaros exolevisse, ne inquam assertum, nulli argumento innixum, minus credibile quibusdam videatur. Hac cura occupatus Grammaticam D. Ganandri in usus Lapponum Sveciæ conscriptam inspexi & ecce! pag. 12. hanc Notam reperi: *Nota* (inquit) *Dualis solum in statu affixo occurrit*. Grammaticam dein D. Fielström, itidem pro Lapponibus

bus exaratam perluſtrans adverti, quod de Nominibus agens ne mentionem quidem faciat *Numeri Dualis*. Pag. vero 52. ſignanter hæc habet: *Numerus Dualis verborum licet non ita in uſu ſit, illum tamen hic adducere voluimus, ut, ſi quando occurrat ignotus plane non eſſet.* Denique Grammatica Fennica Aboæ edita, neque in Nominibus, neque in Pronominibus, neque in Verbis *Numeri Dualis* uspiam meminit; ſic neque in Grammatica Eſthica hic Numerus usquam comparet; quibus viſis tuto affirmare utique licet, *Numerum Dualem* eo minus vigere, quo Gentes hoc Idiomate utentes, longuis a ſeptentrione abſunt; & quoniam in Fennia, atque Eſthia jam deficit, in Ungaria requiri non debet. *Terminatio caſuum* qualis ſit apud Lappones Finmarchiæ ex Grammatica Leemiana adſcribam. Notandum vero, a me Ablativum caſum ſponte prætermitti, cum alibi de eo locuturus ſim.

Numer. Singularis.		*Numer. Pluralis.*	
Nominat.	*Variat.*	Nominat.	in *k*.
Genit.	ut *Nominat.*	Genit.	in *i*.
Dativ.	in *i*.	Dativ.	in *di*.
Accuſ.	ut *Nominat.*	Accuſ.	in *t*.
Vocat.	ut *Nominat.*	Vocat.	ut *Nominat.*

Si ita eſt, prout Leemius eſſe dicit, quod apud Lappones *Nominativus*, *Genitivus*, *Accuſativus*, & *Vocativus* Singularis Numeri regulariter eandem terminationem habeant, Linguam Lapponum iam in defectu eſſe ſuſpicor. Si enim ex ſenſu duntaxat conſtructionis æſtimare debeant an nomen in *Genitivo*, vel *Accuſativo*, vel *Nominativo* ſit? Sermo non erit abſimilis eorum loquelæ, qui linguam v. g. Latinam nondum docti voces ſingulas in *Nominativo* enunciant. Suſpicionem confirmat ipſe D. Leem pag. 14. Grammaticæ dicens: Reperiri quædam Anomala, quæ a præcedenti regula diſcrepant, adducitque tria exempla, in quibus *Genitivus*, & *Accuſativus* a *Nominativo* reipſa diſtincti ſunt. Quid ſi hæc potius, pro regula cæterorum adhiberi deberent? Sed hæc ſuſpicio tantum eſt.

Priusquam

Priusquam *Terminationem casuum*, quæ apud Ungaros obtinet, referam, juvat adscribere *Terminationes*, quibus utuntur *Esthii*, *Fenni*, & *Lappones Sveciæ*. Patebit inde, quantum diversitati Dialectorum, hac quidem in parte tribui possit, & debeat; cum harum Gentium Linguas sola Dialecto differre omnium Eruditorum constet testimonio, & ipsi, qui harum Gentium Grammaticas conscripsere, Authores fateantur.

Dialectus Esthica.	*Fennica Aboensis.*	*Lapponica Fielström.*
Nom. *Variat.*	Nom. *Variat.*	Nom. *Variat.*
Gen. in *a.*	Gen. in *en. in.*	Gen. in *n.*
Dat. in *ale. al.*	Dat. in *lle.*	Dat. in *s. i.*
Acc. in *t.*	Acc. in *a. aa.*	Acc. in *m. b.*
Pluralis.	*Pluralis.*	*Pluralis.*
Nom. in *ad.*	Nom. in *t.*	Nom. in *b.*
Gen. in *atte.*	Gen. in *ten.*	Gen. in *i.*
Dat. in *le. aile.*	Dat. in *lle.*	Dat. in *id. it.*
Acc. in *aid. id.*	Acc. in *a.*	Acc. in *id. it.*

D. Fielström hæc addit: "Dativus, & Accusativus singularis "est duplicis terminationis in *s*, & *i*. in *m*, & *b*. quod fit ex "variantia Dialectorum. Dialectus enim Australis habet in Da-"tivo *s*, in Accusativo *m*. Borealior vero Dativum in *i*, Accu-"sativum in *b*. Quod etiam usitatius est ita, ut priorem termi-"nationem in *s*, & *m* universa Lapponia ignoret, excepta An-"germannica." Quoniam ex his patet Terminationem casuum Lapponum Finmarchiæ cum cæteris non consentire, imo ipsos Lappones Sveciæ inter se differre. An putamus Lappones cum Ungaris conventuros? Conveniunt autem certe in formando *Nominativo Plurali* adæquate cum Ungaris. Quemadmodum enim hi vocibus in vocalem desinentibus pro obtinendo *Plurali* adjiciunt litteram *k*. ita & Lappones faciunt: & quemadmodum Lappones vocibus desinentibus in consonantem adjungunt syllabam *ak*. vel rectius *aak*. ita Ungari adjungunt syllabam *ok*. quæ ex observatione 3. *Tabulæ* I. sono coincidunt. Si e voce Lapponica *Rokkadusa*. Ungarus faceret *Pluralem* diceret, *Rokkadusák*, & dum

vocem

vocem *Zhivaarvos*, seu *Sarvos*, (*cornutus*) in plurali enunciat, dicit *Sarvasok*, plane Lapponice, ut e Grammatica Leemii pag. 1. & 6. videre est. *Genitivus* præterea *Pluralis Numeri* apud Lappones terminatur in *i*, apud Ungaros in *é*. quarum litterarum sonum eundem esse ex observatione 5. Tabulæ iterum I. constat. *Dativus*, in *i*, *Accusativus* Leemio terminatur ut *Nominativus*, apud Ungaros *Dativus* desinit in *nak*, vel *nek*. & *Accusativus* in *at*, vel *et*, vel *ot*, neque pluralis a singulari distinguitur, nisi ratione incrementi; cum hæ syllabæ Nominativo plurali (una littera, vel syllaba, ut supra vidimus, aucto) adjungantur. Ex quibus Lector utique intelliget, Lappones Finmarchiæ magis convenire cum Ungaris quam cum *Esthiis*, *Fennis*, & vicinis *Sveciæ Lapponibus*, quod certe exspectari vix poterat. Imo vero magis inter hos convenit, quam inter Germanos & Danos, præterquam enim quod Dani articulum der, die, das, in declinandis nominibus, quem Germani præponunt, semper postponant, ita eum præterea nomini ipsi conjungunt, ut a Germano intelligi vix possint. Dum enim Germanus dicit: der Herr, *dominus*. des Herrn, *domini*. Danus enunciat; Herren, *dominus*. Herrens, *domini*. In *plurali* dicit Germanus: die Herren, *domini*. der Herren, *dominorum*. Danus vero: Herrerne, *domini*. Herrernes, *dominorum*. Manet ergo hac quoque parte verum, minorem dialecti differentiam Lappones inter, & Ungaros intercedere, quam inter Danos, atque Germanos.

De Nominibus Adjectivis.

Duo in his consideranda veniunt, *Comparatio* per gradus, & ipsorum cum Substantivis *constructio*. Quotquot autem regulas D. Leem pro formandis *comparativis* præscribit, omnes pro Ungaris scripsisse videri potest, aut ex Ungarorum Grammaticis desumpsisse. Certe prout apud Ungaros pro varia positivi gradus terminatione, *comparativus* exit vel in syllabam *abb*, vel *ebb*, vel *obb*. semper autem in *b*, ita etiam apud Lappones. e. g.

Ungarice.	Lapponice.
Tiszta (purus) comp. *Tisztább*.	*Boaanda* (dives) comp. *Boaandáb*.
üres (vacuus) comp. *üressebb*.	*Kuoras* (vacuus) comp. *Kuorasebb*.
Egyigyö (simplex) comp. *Egyigyöbb*.	*Uigio* (simplex) comp. *Uigiob*

 Illud

Illud autem ſatis non aſſequor, quomodo evenerit, ut licet Lappones cum Ungaris in formandis *comparativis* plane conveniant, in formandis tamen *ſuperlativis* inſigniter diſcrepent? Dum enim Ungari *ſuperlativum* formamus comparativo gradui præfigendo particulam *leg*, v. g. *Nagy*, (*magnus*) *Nagyobb*, (*major*) *leg-Nagyobb*. (*maximus*) Lappones poſitivis ſuis ſubjungunt particulam *mus*. Sic: *Boaanda*, (*dives*) *Boaandab*, (*ditior*) *Boaandamus*. (*ditiſſimus*) Præter hos autem *ſuperlativos* Lappones in uſu habent repetitionem ejusdem adjectivi *Boaanda*, *Boaanda*, (*dives*, *dives*). Quod apud Ungaros quoque, ſed raro reperitur. Frequentius apud ipſos uſuvenit expreſſio, & quæ cum inſigni emphaſi conjuncta eſt, nempe: poſitivo, vel comparativo gradui, adjungunt comparativum e. c. loco *pulcherrimus* dicendo: *pulchro pulchrior* (*Szépnel Szebb.*) vel etiam *pulchriore pulchrior* (*Szebbnél Szebb.*) Quod ergo Lappones cum ſuis poſitivis, hoc Ungari cum comparativis facere intelliguntur. Niſi forte hoc ipſum etiam a Lapponibus fiat.

Conſtructio Adjectivorum cum ſuis *Subſtantivis* mira plane, & fortaſſis etiam erronea videbitur illis, qui linguarum orientalium minus periti ſunt. Namque, licet adjectiva Lapponica, ſi ſine ſubſtantivis ponantur, hoc eſt: Subſtantivo occulte ſubintellecto; per caſus, ac numeros non minus declinentur, quam ſubſtantiva ipſa, tamen ſi adjectivum juxta ſubſtantivum expreſſe poſitum compareat, nec in *Numero*, nec in *caſu* cum ipſo concordat; verum ſemper ponitur in *Nominativo* numeri *ſingularis*. Neque diceret Lappo: *ego habeo bonos libros*, ſed: *ego habeo bonus libros*. Eadem autem Generalis regula a Grammaticis Ungaris præſcribitur, & quotidiano uſu ab Ungaris tam exacte obſervatur, ut ſi quis loco: *Szép könyveket láttam*, (*vidi pulcher libros*) diceret: *Szépeket könyveket láttam*, (*vidi pulchros libros*) ne pro Tyrone quidem Ungaricæ linguæ haberetur. Attamen, ſi ſubſtantivum occulte ſubintelligatur, ut, ſi quæſtio ſit: *Quales libros vidiſti?* (*mitsodás könyveket láttál?*) adjectivum per quod reſpondetur, in *Numero*, & *Caſu* cum ſubſtantivo concordari debet, dicendo: *Szépeket*. (*pulchros*) Non vero: *Szép*. (*pulcher*) Idem a Lapponibus diligenter præſtatur.

De

De Diminutivis.

Diminutivorum usus apud Lappones teste Leemio, & Ganandro est frequentissimus, in quibus nempe elegantiæ partem maximam lingua Lapponica repositam habeat. Non solum autem a substantivis omnibus, atque adjectivis, sed etiam a comparativis, *diminutiva* formari docent iidem Grammatici. Quam frequentia apud Ungaros sint? & quam eleganter adhibeantur *diminutiva*, ipsi optime noverunt. Molnár in sua Grammatica testatur. *Vix vocem reperiri in lingua Ungarica, quæ certis litteris diminui non posset.* Perefzlényius vero in sua Grammatica Tyrnaviæ edita: *Gratiosam* vocat *apud Ungaros Diminutionem tam substantivis quam adjectivis communem.* Fit autem a Lapponibus *diminutivum*, si voci addatur *tzh*, vel secundum dialectum Maritimorum *sh*. Ex supra dictis de ortographia, & viva Lapponum voce didici, sonum harum litterarum eundem esse, ac Ungarorum *Ts* | vel *S*. Jam vero Ungari ipsissimos hos sonos adhibent ad formanda *diminutiva*. Et quia Ungari ex eadem voce plura diminutiva formare noverunt, (uti ex *Leány*, (*puella*) *Leánka*, *Leántsa*, *Leánotska*, (*puellula*) fit; ut apud Ungaros non solum *diminutiva* Lapponum Montanorum, & Maritimorum reperiantur, sed insuper & alia, quæ licet in Grammatica Leemiana non exstent, in usu tamen Lapponibus esse non dubito. Neque enim omnia arcana Idiomatis peregrini, & adeo ampli patefacere unius viri solertia potest.

De Numeralibus.

Pro magno semper argumento habuerunt critici, diversarum Gentium Idiomata congruere si *Numeralia* aliquantum convenire animadverterunt. Unde comparationem Idiomatum a comparatione *numeralium* eos potissimum inchoasse in libris ipsorum scriptis videre est. Et vero experientia docemur, viros plurium linguarum peritos, etsi negotia sua alieno idiomate inoffense pertractent, si tamen numerandi, & computandi labor forte suboriatur, ad proprium, & nativum sermonem, ne advertentes quidem recurrere, & calculos lingua patria subducere. Quantum autem

in *Numeralibus* Lappones cum Ungaris conveniant, ex ſubjecto Schemate Lectori judicandum relinquo.

Lapp. Finmarchiæ.	*Ungari.*	*Lapp. Sveciæ.*	*Fenni.*
1. Auft.	Egy.	Ackt.	Yxi.
2. Guoft.	Kettö.	Queckt.	Caxi.
3. Golm.	Három.	Kolm.	Colme.
4. Nielja.	Négy.	Nelje.	Nelja.
5. Vit.	Ött.	Vit.	Viiſi.
6. Gut.	Hat.	Kot.	Cuuſi.
7. Zhieezhia.	Hét.	Giegie.	Seitzemen.
8. Kautze.	Nyoltz.	Kackze.	Cahdexan.
9. Autze.	Kilentz.	Atze.	Yhdexen.
10. Laagi.	Tiz.	Lacke.	Kymmenen.

Si in his habeatur ratio diverſæ ortographiæ, & variæ itidem pronunciationis, & quomodo pronunciatio unius facile in pronunciationem alterius permutari poſſit? Videbitur Numerale 2. Lapponicum cum Ungarorum 2. ſatis convenire. item Numeralia 4. 5. 6. bene conſpirare. Lapponicum vero 8, cum Ungarorum 9. & Ungarorum 8, cum Lapponum 9. affinitatem habet. Ungarorum 10. *Tiz* a cæterorum *decem* diſcrepat quidem, ſed ſi advertamus a Fennis *undecim* dici: *Yxi-Toizta* videbimus Ungarorum *Tiz*, convenire cum *Toizta*, ſeu verius *Toiz*, terminatio enim *ta* Svecana potius eſt, quam Fennica.

Ad altiores numeros exprimendos, nempe: 20, Lappones utuntur: *Goaalmad Laage*, ſeu *bis decem*. Ad exprimendum 21, *auft goaalmad Lokkai*. Seu *unum ad tertium decem*. &c. Iſte modus numeros majores tot vocabulorum combinatione exprimendi, ſatis probat, quod de Lapponibus ſcriptores memoriæ prodiderunt, ipſos nempe non facile ultra *decem* numerare. Numerum vero *Milleſimum* omnino ignorare. Si ipſis numerorum altiorum tam frequens foret uſus, uti Ungaris eſt, credo equidem pridem jam brevitati ſtuduiſſent, quemadmodum fecerunt Ungari. dum 20 exprimunt per *Huſz*, 21 per *huſzon egy* & 1000 per *Ezer*.

Numerus

Numerus enim 100 (*Száz*) cum Lapponico *Zhioette*, seu *Szate* satis convenit, multo autem magis cum Fennonum *Szád*.

Non debeo prætermittere usum prorsus singularem horum *Numeralium*, in eo situm, quod, quandocunque *Numerale* pluralitatem significans adjungitur substantivo, substantivum neque a Lapponibus, neque ab Ungaris pronatur ad *Pluralem* sed semper in *Singulari* maneat. Unde non recte diceret Lappo, aut Ungarus, *do tibi quatuor*, libros, (*adom néket Négy* Könyveket.) sed dicere debet, *adom néket négy* könyvet, (*do tibi quatuor* librum.) qui modus etsi prima fronte exoticus appareat, rationi tamen valde consentaneus facile intelligitur.

§. X.

Idioma Ungarorum, & Lapponum Idem esse probatur ex simili usu Pronominum, Affixorum, & Suffixorum, item Præpositionum.

Quemadmodum usus pronominum in omni lingua frequens est, ita si in diversis dialectis Pronomina vel paululum mutentur, in sermone magnum causant discrimen. Sic quod Germanus ægre intelligat Danum magnam partem inde oritur, quia Pronominibus aliquantum variatis utuntur. Dum enim

Germanus dicit:	Danus enunciat:
Ego . ich . . .	jeg
Mihi . mir . . .	mig.
A me . von mir . .	af mig.
Nos . wir . . .	vi.
Nobis . uns . . .	os.
Ille . er . . .	han.

Discrepant quoque in Pronominibus aliquantum Lappones, Fennii, Esthii, Ungari. Non ita tamen, ut varietatem dialecti non facile agnoscas. Lappones Finmarchiæ Pronomina *ego*, *tu*, *ille*,

nos, *vos*, *illi*. Efferunt per: *mon*, *ton*, *son*, *mii*, *tii*, *sii*. Ungari vero dicendo: *én*, *te*, *ö*, *mi*, *ti*, *ök*. Adeoque pluralis *nos*, & *vos* idem est apud utrosque.

Relativum *qui*, *quæ*, *quod*, duplex datur apud Ungaros *ki*, & *mi*, utrumque hoc *ki*, & *mi* apud Lappones quoque habetur. Et quidem servato etiam peculiari relativa hæc construendi modo. Nam, si relativum *qui*, respondeat substantivo rei viventis utuntur Ungari voce *ki*. e contra, si substantivum, cui respondet relativum *qui*, denotet rem non viventem, utimur particula *mi*. Non recte dicerem Ungarice: *mi szol?* (*quis loquitur?*) sed dicere oportet: *ki szol?* & rursus non dicitur *ki esett?* (*quid cecidit?*) sed *mi esett?* Eandem regulam Leemius præscribit, pro usu Lapponum *ki*, & *mi* Grammaticæ suæ pagina 84 & sequentibus.

Particula Lapponica *Jezh:* seu ut a Suecis Grammaticis scribitur *ez*, vel *egie*, significat *ipse* eadem particula *ez* apud Ungaros significat *Iste*, hujus Genitivo *egien*, præfigunt Lappones Svecici pronomen *Mo*, & obtinent *Moegien*, (*ego ipse*) seu (*proprius*) atque hinc Ungarorum *Magam*, (*ego ipse*) oriri prorsus non dubito. Cæterum quemadmodum Ungari loco *possessivorum* (*meus*, *tuus*, *suus*) utuntur Genitivis pronominum (*ego*, *tu*, *ille*.) Ita & Lappones. Quod tamen intelligendum de illis casibus, quando res possessa occulte subintelligitur. Si enim res possessa expresse ponatur. Ut: *liber est meus*. Loco possessivi *meus* non licet uti genitivo pronominis *ego*, sed ex substantivo *liber* formari debet possessivum ope particularum quarundam ipsi suffigendarum. Ut jam patebit.

De Suffixis Possessivis.

Tota vis, atque energia Idiomatis, de quo mihi sermo est, consistit in recto particularum suffigendarum usu. Eædem linguam discere volentibus difficultatem pariunt vix superabilem, cum non solum in nominibus, sed etiam in verbis, atque adverbiis copiose adhibeantur. Ipsi certe Grammatici usum horum suffixorum eorumque varietatem, & diversitatem regulis comprehendere

dere volentes, moleſtias ſentiunt non modicas, unde non iisdem viis, neque iisdem obſervationibus ad eundem terminum pervenire laborant. D. Leem negotium hocce breviter abſolvit, & pro rei gravitate fortaſſe nimium breviter. Dicit enim: Poſſeſſiva *Meus*, *Tuus*, *Suus*, *Noſter*, *Veſter*, *Illorum*. Exprimenda eſſe, adjiciendo Nomini, in ſuo caſu, & numero jam conſtituto, particulas ſequentes, *am*, *ad*, *es*, *æmek*, *æddek*, *æſek*. Si autem Nomen ſit in Dativo caſu, particulas ſuffigi debere has: *Aſſam*, *aſſad*, *aſſe*, *aſſamek*, *aſſadek*, *aſſaſek*. Atque his totam de Nominibus *Poſſeſſivis* Doctrinam abſolvit.

Non ſic apud Ungaros, in quorum Grammaticis maximam ſemper partem *Poſſeſſivorum* explicatio occupat. Etſi enim Poſſeſſivum *primæ Perſonæ* interdum formetur ſuffigendo Nomini particulam *ám*, ut *Pater meus*, (*Atyám*) id tamen non evenit generaliter, alias enim ſuffigi debet particula *em*, alias *om*, alias *im*, pro varia nempe Nominis abſoluti terminatione. Sic quoque, etſi ad exprimendum poſſeſſivum *ſecundæ Perſonæ* interdum ſuffigi debeat particula *á'd*, ut: *Tuus Pater*. (*Atyád*) interdum tamen ſuffigendum eſt *ed*, interdum *od*, pro varia itidem nominis abſoluti terminatione. Ad exprimendum vero poſſeſſivum *ſuus*, ſeu *tertiæ Perſonæ* jam *a*, jam *e*, jam *i*, ſuffigitur. Idem ſentiendum de *Poſſeſſivis* pluralis Numeri; nempe *noſter*, *veſter*, *illorum*. Ad quæ exprimenda ſuffixis utimur omnino diverſis, tum ob variam terminationem nominum abſolutorum, tum ob varietatem perſonarum, tum ob diverſitatem Numerorum. In *poſſeſſivis* enim quatuor caſus Ungaro conſiderandi veniunt. 1. *Si & poſſeſſor, & res poſſeſſa ſit in ſingulari*, ut *Pater meus*. 2. *Si poſſeſſor ſit in ſingulari, & res poſſeſſa in plurali*, ut *Patres mei*. 3. *Si poſſeſſores ſint in plurali, res poſſeſſa in ſingulari*, ut *Pater noſter*. 4. *Si & poſſeſſores, & res poſſeſſæ ſint in plurali*, ut *Patres noſtri*. In ſingulis his caſibus particulæ ſuffigendæ diverſæ ſunt, & reipſa diverſæ eſſe debent, ſi lingua bene culta ſupponatur. Sic in caſu:

1.	Meus Pater, *Atyá'm*.	Tuus, *Atyá'd*.	Illius, *Atya*.
2.	Mei Patres, *Atyá'im*.	Tui, *Atyá'id*.	Illius, *Atyá'i*.
3.	Noſter Pater, *Atyá'nk*.	Veſter, *Atyá'tok*.	Illorum, *Atyok*.
4.	Noſtri Patres, *Atyá'ink*.	Veſtri, *Atyá'itok*.	Illorum, *Atyá'iok*.

Alia

Alia nomina, quæ aliter terminantur quam *Atya*, aliis particulis suffixis, ut dixi, gaudent, sed ea brevitatis causa prætereo.

Tanta cum sit apud Ungaros in formandis *possessivis* particularum suffigendarum varietas, & multitudo, apud Lappones e contra paucæ, eædem semper, & invariatæ maneant. Concludendum esse judico magnam suffixorum partem apud Lappones interivisse, reservatis pauculis, & quæ omnibus nominibus promiscue eadem semper suffigant. Quod si autem suffixa, quibus Ungari præ Lapponibus hodie abundant, reipsa apud Lappones nunquam exstiterunt, illa profecto ab Ungaris, per tot secula linguam Patriam egregie excolentibus concinnitatis, & facilioris elocutionis gratia poterant introduci. Quid? quod mihi suspicio orta est, inde etiam fieri posse, ut plura, & magis variantia suffixa in Grammaticis Ungarorum occurrant, quam in Leemiana: quod nimirum Grammaticarum Ungaricarum Magistri, Idiomatis Patrii genium, funditus sibi perspectum habentes, & varios Ungarorum loquendi modos ab infantia edocti, veterum præterea scriptorum, & recentiorum Librorum (*) copia instructi, diversitatem hanc suffixorum penitius introspexerint, neque contemnendam rati, in Grammaticis suis enucleatius pertractandam susceperint. Quod ipsum ita certe præstiterunt, ut nemo exterorum, si præsertim libris destitutus sit, id pariter facturus unquam, facile videatur.

De Suffixis Verbalibus.

Verbis quoque adjungi suffixa, & ipsa in Possessiva quodammodo transire bene advertit D. Leemius. Unde eam doctrinam Pag. 105. & sequent. fusius exponit. Dicitque communiter id evenire in verbis *precandi*, *optandi*, *mandandi* &c. quæ a Latinis, cum particula *ut* construuntur. v. g. *rogo*, *ut des*. *Mando*, *ut eas*. In his casibus conjunctionem *ut* emanere in Lapponico, & verbum

(*) Ad veteres merito refertur *Chronicon mundi* a Stephano Székely Ungarice editum Cracoviæ 1558. Recentiora sunt: Opera multiplicia Cardinalis Pázmány. Káldii versio Bibliorum in folio excusa Tyrnaviæ. Gyöngyösii opuscula Poëtica versibus conscripta. &c. &c.

bum *des*, vel *eas*, construi cum suffixo *secundæ personæ*. Quomodo autem hæc suffixio fieri debeat? mirum se torquet; in plerisque fieri deberet addendo aliquid ad Imperativi secundam personam. Sed hanc generalem regulam multis exceptionibus limitat, ratione scilicet terminationis verborum, tam in prima, quam in secunda, & tertia persona præsentis temporis Indicativi, quam iterum ratione terminationis Imperativi. Ungari non solum verba *petendi*, *optandi*, *mandandi*, sed etiam *potentialia*, item *decet*, *oportet* &c. eodem plane modo, quo Lappones construunt. Nempe conjunctionem, *ut*, (qua latini plerumque utuntur) omittendo, & verbo subsequenti, suffixum adjiciendo aliquod conveniens. Sic; *decet: ut ego videam.* (*illik látnum*) quasi *decet videre me.* Illud: *me* exprimunt per suffixum *om.* (*illik látnod*) *decet videre te*, illud: *te* exprimunt per suffixum *od.* &c. Similia autem formantur non magno negotio ex Infinitivis verborum, ut in Grammaticis Ungaris dilucide expositum est.

De Suffixis Adverbialibus.

Duplicis generis adverbia in hoc Idiomate occurrunt, alia vocari possunt *Præpositiones*, quæ vocibus præponuntur, & varios casus regunt. Alia reipsa vocibus suffiguntur, & in unum cum ipsis vocabulum coalescunt Neque reipsa *præpositiones* vocantur, nisi eatenus, quatenus æquivalent talibus particulis, quæ in aliis Idiomatibus *præpositiones* audiunt.

Prioribus illis, seu vere præpositionibus, tam Ungari, quam Lappones particulas suas *am*, *ad* &c. Suffigere solent, ut sic ostendatur cujus Personæ, & Numeri pronomen sit, ad quod præpositio pertinet. e g. *post* Ungarice dicitur: *után* si velim dicere: *post me*, adverbio *után* suffigitur particula *am* primam personam designans; dicoque: *utánam*. *Mellet.* (*penes*) suffigendo *em* fit *Mellettem.* (*penes me*) Sed hic quoque notandum, plures particulas suffixas existere apud Ungaros, quam Lappones, ut supra dictum est.

 De

De Præpositionibus.

In Idiomatibus plerisque omnibus habentur præpositiones *à*, *ab*, *ex*, *cum*, *in*, *de* &c. his præpositionibus in Lapponum seu Ungarorum Idiomate respondent suffixa quæpiam, quæ nominibus subjunguntur. Atque huc pertinent casus, qui a plerisque Grammaticis *ablativi* appellantur, & quos ego in Declinatione Nominum superius sponte omisi. Dum enim Leemius dicit vocem *Rakadusa*, (*oratio*) in ablativo habere *Rakadusain*, vel *Rakadusast*, reipsa particula *in* & *st* æquivalent præpositionibus *cum*, & *ab*. Seu diceres, *cum oratione*, *ab oratione*. Eadem suffixa Grammatici Svecici considerant, ut diversas casuum Terminationes. Hinc videas apud illos præter ordinarios sex casus, etiam *Locativum*, *mediativum*, *factivum*, *nuncupativum*, *penetrativum*, *instructivum* &c. adduci. D. autem Leem sic se explicat: *Dum apud latinos aliquæ præpositiones alium casum regunt, quando quietem significant, & alium, quando denotant motum, apud Lappones voces non ponuntur ad diversos casus, sed ipsarum solum terminatio paululum immutatur.* Quæ quidem omnia etiam apud Ungaros reperiri vel ex hoc uno exemplo patebit. Ungarus enim dicit: lignum: *fa*, a ligno: *fátol*, ex ligno: *fábul*, de ligno: *fárel*, cum ligno: *fával*, pro ligno: *faért*, ad lignum: *fához*, apud lignum: *fánál*, supra lignum: *fára*, super ligno: *fán*, in ligno: *faba*, in lignum: *fában*, in lignum mutatus *fává*.

§. XI.

Idioma Ungarorum, & Lapponum Idem esse Probatur ex Conjugatione Verborum, & Verbis Auxiliaribus.

Quod Conjugationum Numerum, Ordinem, Modos, Tempora, rationemque eadem formandi concernit, magis ex ingenio Grammatici, quam genio linguæ pendere, vel inde intelligitur, quod hæc a diversis Grammaticis diverso modo pertractari videamus. D. Leemius in verbis proponit Tempus *Præsens*, *Imper*, *fectum*-

Digitized by Google

fectum, *Perfectum*, *duo plusquamperfecta*, & *futurum*. Hoc eſt: *Tempora Sex*. D. Fielſtröm. *Præſentia tempora duo*, *Imperfecta* itidem *duo*, *Perfectum*, *plusquamperfectum*, & *futurum* univerſim *Tempora Septem*. Molnár in Grammatica Ungarica ponit: *Præſens primum* & *ſecundum*, *Imperfectum primum* & *ſecundum*, *Perfectum primum* & *ſecundum* & *tertium*. *Plusquamperfectum primum & ſecundum*, ac denique *Futurum*, adeoque *tempora decem*. Tempora a Leemio adducta, alia ſunt *ſimplicia*, *alia compoſita*, nempe ex verbo principali, & auxiliari quopiam.

De Temporibus Verborum ſimplicibus.

Primam Perſonam præſentis. Temporis D. Leem docet terminari in *om*, vel in *am*, interdum in *im*. D. Fielſtröm Grammaticæ ſuæ pag. 57. Sic loquitur: " Terminatio præſentis in *am* " & *om*, eſt dialectus tantum Angermanniæ, alii hanc termina- " tionem mutant in *ab* vel *ob*, Lulenſes in *af*, vel *of*." Fatigat ſe deinde in terminationum iſtarum conciliatione.

De Ungaris hæc dicenda habeo. Verba ipſorum terminantur in *om* aliqua in *em*, quando accuſativus verbi aut expreſſe adjungitur, aut occulte ſaltem ſubintelligitur. Ut: *Tudom a Magyar nyelvet*. (*ſcio linguam Ungaricam*) at, ſi Verbum conſtruatur indeterminate, ſine accuſativo, ne quidem occulte ſubintellecto, terminatio *om* vel *em*, mutatur in *ok* vel *ek*. v. g. *Scio Ungarice*. (*Tudok Magyarúl*.) Hanc legem nemo Ungarorum violari patitur. Et forte D. Fielſtröm hac obſervatione adhibita, facilius ſe difficultate ſua expediviſſet, in concilianda terminatione Lulenſium *of*, cum aliorum *om*. Animadvertendum præterea apud Ungaros, non tantum terminationem præſentis temporis in *om*, *ok*, *em*, *ek*, ſed omnium fere Temporum, & omnium Perſonarum, atque utriusque Numeri, conſiderari ut vera ſuffixa. Supponunt nempe Ungari, Radicem omnium Temporum, & perſonarum eſſe Tertiam Perſonam Præſentis indicativi, quod ipſum linguarum orientalium Grammatici faciunt omnes. Ganander quoque pro Radice reliquorum temporum aſſumit tertiam perſonam præſentis indicativi. Sed Fielſtröm non recte aſſumit infinitivum, & D.

Leem minus recte assumit Imperativum. Claritatis causa: Ungari dicunt *él*, *ád*, *nyal*, (*vivit dat*, *lambit*) hinc reliqua tempora & personas formant. Adjungendo diversa suffixa pro ratione diversarum Personarum. Si dicere velint *vivo:* voci *él* adjungunt suffixum *ek* eritque *élek* (*vivo*) sed indeterminate. Si dicere velint *do*, voci *ád*, adjungunt suffixunt primæ Personæ *om*, (si subintelligatur accusativus eritque *adom*, (*do*) nempe: *hanc* vel *illam rem*, atque ita porro de cæteris personis. Suffixa autem ista Ungarorum plura utique, & magis variantia sunt, quam apud Lappones, Iisdem de causis, quæ superiori paragrapho allatæ sunt.

Si autem alicui proponatur prima Persona præsentis, is sibi tertiam verbi personam facile facere potest, ut radicem cæterorum obtineat. Nihil nempe aliud opus, quam ultimam syllabam *om*, *ok*, *em*, *ek*, abjicere; residuum erit radix omnium temporum, & Personarum. Atque hoc fieri quoque debet, dum quis verba Lapponica in Elencho meo supra allata, cum Ungaricis conferre voluerit. Videbitque, quod licet verba interdum quoad terminationem discrepent, dum in prima Persona ponuntur, non tamen discrepent, si ex iisdem (modo dicta ratione) tertia persona, seu radix ipsa inquiratur. Lappo dicit: *élam.* (*vivo*) Ungarus *élek*, itidem (*vivo*) hæc discrepant, at si quæratur radix, erit illa apud utrosque *él*, (*vivit*) quare discrepantia illa non fuit verbi ipsius, sed solum particulæ suffixæ *am* & *ek*.

Neque moveri quis debet, quod hac ratione inquirendo in tertiam personam verbi ea communiter obveniat consonante terminata, cum tamen Leemii, 2 & 3 persona plerumque in vocalem terminetur. Advertendum enim, etiam apud Ungaros eam in vocalem terminari si accusativus vel expresse, vel occulte adsit. Dicimus quidem *Vivit* (indeterminate) *él*, sed si accusativus adsit dicendum *éli* v. g. *a Világot*, (*vivit deliciosam vitam*) Cæterum D. Fielström pag. 62. monet: Vocalem tertiæ personæ Præsentis a dialecto Australi in plerisque verbis absorberi. Quid, si regulam Ungarorum sequentes omnes Lappones, vocalem illam interdum absorbent, interdum enunciant? prout verbum in sensu determinato, vel indeterminato construitur.

Tempus

Tempus *Imperfectum* apud Leemium terminatur in syllabam *im*. Molnário nostro tempora *Imperfecta* sunt composita, sed perfectum primum terminatur in *ék* vel *ém*, quod postremum ad sonum *im* proxime accedit.

Imperativus tam apud Ungaros, quam Lappones est variæ prorsus terminationis. Ungarorum tamen *Imperativi* vix in vocalem desinunt, sed in Consonantes, duræ pronunciationis, & quarum enunciatio Ungarum, aut Lapponem requirit. Sic: *olvass* lege, *félly* time, *adjy* da, *örizz* custodi, *tarts* tene. Istis Imperativis, Leemius & Grammatici Svecici communiter vocalem adjiciunt, credo facilioris suæ elocutionis causa. Monet tamen Fielström a dialecto Australi vocalem ultimam absorberi. Dicique *Gol*, (*audi*) *Borr*, (*ede*) *Dack*, (*fac*) *Kopp*. (*aperi*) Unde Imperativi hujus dialecti plane Ungarici sunt.

Infinitivum Præsens Lapponibus in *t* Ungaris in *i* terminatur, apud utrosque autem ope suffixorum, in diversis numeris, & personis construitur, ut supra jam memini. *Gerundium* Leemius in *din* format: *Logadoedin*, (*legendo*) *Supinum* in *shiet* seu *set*, ut *Logashiet*, vel *logaset*: (*lectu*).

D. Fielström a Lapponibus utrumque formari dicit, in *au*, ut *jackeman*. (*credendo*, *creditu*) Apud Ungaros alii vocant *Gerundium*, alii *Participium* quod desinit in *án*, vel *én*. *Látvá'n*, (*videndo*, *videns*) quæ terminatio cum Lapponica Svecana magis convenit. At *Participium futurum* Ungari formant in *andó*, vel *endö*, ut *látandö*, & hoc cum *Gerundio* Leemii conspirat. Cæterum dicimus, *lectus*, *lectum*. (*olvassott*) quod iterum cum Lapponico convenit. Locutiones tamen, quas Latini per *Gerundia*, & *Supina* efferunt, Gentes hæ per *infinitivos* malunt exprimere.

De Verbis Auxiliaribus.

Tempora composita, ex Verbo Principali, & *Auxiliari* quopiam eidem adiuncto, formari sciuntur. Talia sunt Lapponum *Perfecta*, *plusquamperfecta*, & *futura*. Ad formandum *futurum*

 utuntur

utuntur Auxiliari *kalkam*, (*debeo*) Ungarice dicitur *kel*, (*debet*) quæ quidem res dialectum Danicam, & Svecanam proxime imitatur, nam & hi ad formandum *futurum* utuntur auxiliari *debeo*. Jeg skal giøre det. (Ich soll dieses machen.) *Ego hoc faciam.* Ungari pro hoc tempore formando utuntur auxiliari *fogok*, *fogom*, quasi (*capio, incipio,* unde: *fogok tselekedni*, quasi (*jam incipio facere*, hoc est: *faciam*, *perficiam.* Alias etiam utimur præsenti Indicativo præmittendo particulam *meg*, ut: *meg tselekszem.* (*faciam*) In reliquis temporibus utuntur Lappones verbo Auxiliari *sum*: (*Lem*) Cujus convenientiam cum auxiliari Ungarico, ut ostendam, juvat totam hujus verbi conjugationem huc adscribere ex Leemio:

Sum, *es*, *est*. lem, lek, lé.
Eram, *eras*, *erat*. leigyém, leigyék, lei.
Fui, *fuisti*, *fuit*. lem lémátz, lék lémátz, lé lémátz.
Fueram, *fueras*, *fuerat*. leigyém lémátz, leigyék lémátz, lei lémátz.
Sim, *sis*, *sit*. lézsam, lézsak, lézsa.
Essem, *esses*, *esset*. liftsém, liftsék, liftsé.
Esto. lég.
Esse. let.

Apud Ungaros.

Lészek, lészesz, lészen. *Significat proprie fio*, *fis*, *fit*.
Lök, lövék. löl, lél, lövel. lön, len. *eram*, *eras*, *erat*.
Löttem, lettem. löttél, lettél. lött, lett. *factus sum*, *es*, *est*.
Lett legyek, lett légy, lett légyen. *factus fueram*, *fueras*, *fuerat*.
Legyek, legy, legyen. *sim*, *sis*, *sit*.
Lenném, lennél, lenne. *essem*, *esses*, *esset*.
Légy, *esto*. Lenni, *esse*.
Lött, vel lett. *Participium.*

Jam si pronunciationis aliquantulum variatæ habeatur ratio, hæc inter se egregie conspirare videbuntur. Habendam autem pronunciationis rationem, vel ipse Leemius probat, dum Grammaticæ pag. 387. dicit *Lifzhjim*, seu *Lifisem*, ab aliis pronunciari *Livlim*, seu *Livlém*. *Imperativus* dein apud utrosque est idem.

Quodsi præterea Ungarus advertat, Præteritum perfectum Ungarorum *Lettem*, *lettél*, *lett*, nequaquam regulariter derivari, a tertia

tertia Persona Præsentis *Lészen*. Multo autem minus a tertia Persona verbi *Vagyok*, (quod Ungaris proprie *sum* significat) approbabit credo suspicionem meam: Usum nempe Præsentis temporis Verbi *Lem* apud Ungaros interiisse, reservato hodiedum Præterito Perfecto, *Lettem*.

Quod autem Præterita Perfecta Lapponum concernit, majoris momenti observationem hic adjungo. Hæc tempora apud Leemium semper sunt composita, ex Præsenti nempe tempore verbi Principalis, & Auxiliari *Lem*. Sic *Addom*, (*do*) habet Præteritum *dedi*. (*lem addom*) Apud Ungaros Præteritum Perfectum II. non est compositum, sed derivatur regulariter a tertia persona Præsentis Indicativi, addendo ipsi, interdum syllabam *tam* interdum *tem*. Sic Ungaris *adom*, *do*) *ád*, (*dat*) *adtam*, (*dedi*) *adatom*, (*dor*) *adatattam*, vel per syncopen, *adattam*, (*datus sum*.) Hæ quidem terminationes in Grammatica Leemii non obveniunt, ubi de conjugationibus agit, at vero ubi de Verbis derivatis agitur, omnes hæ terminationes, & copiose quidem comparent. Sic pag. 309. ex *Logam*, (*lego*) Leemius dicit derivari *Logatam*, ex *Logatalam*, *Logataddam*, ex *Lokkalam*, *Lokkaladdam*. Ex *Rattasam*, (*rumpo*) derivat *Rattasaddam*, ex *Laanom*, (*rego*) *Laanotam*. &c. &c. quæ quidem derivata Leemius dicit, ejusdem plerumque esse significationis cum suis Primitivis. Ego, qui scio in Lapponum lingua, vocum significationem, vel paucis adjectis litteris, immutari, vix inducor, ut credam hæc esse Synonima. Ungari certe, derivata hæc verba pro Præteritis Perfectis suorum primitivorum haberent. Et quamvis concedam, apud Lappones Præterita Perfecta composita in frequentiori usu esse, utpote quæ se commendant ipsa facilitate, qua formantur, præsenti tempori auxiliare *lem* adjungendo, fieri tamen potest, ut cum Ungaris etiam simplicia præterita habeant, quæ in usu jam rarius sint, & ab exteris Grammaticis quasi derivata & instar verborum Præsentis Temporis considerentur. Quod si ita est, Conjugationes Ungarorum cum Conjugationibus Lapponum plane conspirabunt. Interea dissimulare non debeo singularem illam, & Lapponibus propriam, verba in sensu negativo construendi rationem. Utuntur Illi ad sensum negativum exprimendum Verbo Auxiliari *Lem* negative constructo, & aliquam

aliquam in verbo quoque Principali mutationem faciunt. Quia ipsa Pronomina *ego*, *tu*, *ille*, in sensu negativo aliter efferunt. Fateor hoc in puncto Lappones aliquid præ Ungaris habent singulare. Sed nempe, post tot seculorum divortium necessaria prorsus sequela hæc est, ut dum diversa fata, apud diversas, & sejunctas Gentes idem Idioma experitur, multa apud alteram gentem in vigore suo permaneant, quæ apud alteram ipso non usu oblitterantur. At si post longi temporis lapsum, Gentes illæ Idioma suum conferant, atque combinent, quantum habuerint? quantum amiserint? non sine dolore intelligunt. Quod ipsum ad exornandam utriusque Gentis linguam, & pristino splendori restituendam, quantum intersit? nemo non videt. Denique quod concernit verba *meditativa*, *inchoativa*, *diminutiva* &c. ita in his Lapponibus cum Ungaris convenit, ut inde vel maxime utriusque Gentis Idem esse Idioma luculentissime demonstretur. Ungari certe, qui Magnum Leemianum Lexicon obtinuerint, in eo Idioma suum videbunt oculis, manibusque palpabunt. Cum enim D. Leem præ quam ullus alius Lexicorum scriptor, in recensendis Verborum derivatis sit prolixus, & diligens; post singula verba radicalia in eo opere derivata omnis generis longissima serie comparent. Hæc inter autem videbit protinus Ungarus verba Lapponica *Meditativa* esse vere Ungarica. *Inchoativa* itidem Ungarica, *Frequentativa*, prorsus ut Ungaris in usu sunt. Videbit dein omnium horum Verborum, tam *Radicalium*, quam *meditativorum*, *inchoativorum*, *frequentativorum* &c. *præteritum perfectum* prorsus Ungaricum. Singulorum horum verborum tempus *præsens passivum*, & itidem passivum *præteritum perfectum*, ad amussim, & secundum regulas Ungarorum formatum, atque expressum. Ut adeo ad demonstrandam Ungaris asserti mei veritatem, nulla re alia opus mihi sit, quam sæpe laudatum Lexicon iisdem inspiciendum proponere.

Licebit præterea Ungaris in hoc Lexico Leemiano advertere multa sane vocabula *radicalia*, quorum *derivata* hodiedum possident Ungari, amissis *radicibus* ipsis. Advertent multa *derivata* a Lapponibus eleganter usurpari, quæ in hodierno Ungarorum sermone novata putarentur, licet veterrima sint. Videbunt plurima

Verba

Verba nostra trium syllabarum, apud Lappones esse dissyllaba; & quod inde consequitur in *Verbis* fere omnibus tertiam personam præsentis temporis (quæ radix est cæterorum) reipsa esse monosyllabam. Quod quidem genius linguæ Ungaricæ jure quodam proprio sibi postulat. Sed omnia hæc fusius pertractandi si foret propositum, opus præsens finem haberet sero nimis. Serviam itaque tempori, & manum de tabula tollam, ubi prius Celebriorum quorundam Authorum sententias adduxero, quibus convenientiam hanc Idiomatis Ungarici, atque Lapponici jam ante me asseverarunt. Ita nempe Lector intelliget, assertum meum neque hodie natum, neque ex meo unius capite profluxisse. Quod quidem ad veritatem ipsius confirmandam novum erit argumentum.

§. Ultimus.

Idioma Ungarorum, & Lapponum Idem esse confirmatur ex sensu quorundam Celebrium Authorum.

Etsi e Finmarchia redux, ea, qua par est, modestia negaverim, me (quod rumor sparserat) Lappones loquentes intellexisse, tamen simul professus sum, Gentis Ungaricæ, & Lapponicæ Idem esse Idioma, sed quod, nisi scripto aliquo demonstrari non posset iis præsertim, quibus utriusque Gentis sermo ignoraretur. Ergo, ut scriptum simile concinnare vellem, plerique Litteratorum hortabantur, ut autem etiam possem, operam suam in subministrandis, ad id negotii necessariis libris, large pollicebantur. Quoniam vero non segnius, ac promiserant, rem præstiterunt, brevi tempore Grammaticis, & Lexicis, non solum Lapponicis, sed etiam Fennicis, Esthicis, atque Ungaricis abunde instructus fui. Obtinui præter hæc Celebriorum quorundam Authorum opuscula, in quibus Idioma Ungaricum cum Fennico, atque Lap-

 ponico

ponico convenire etsi non demonstrent, ita tamen luculenter asserunt, ut hac in re novæ Inventionis laudem mihi arrogare non possim, licet forte possem certitudinis, atque Demonstrationis. Ut ut sit sensa Illorum hoc §. Complector. Adscriptis insuper Illustrium illorum Virorum nominibus, quorum benevolentia opuscula hæc, proposito meo tam oportuna, adeptus sum. Id quidem non alia de causa factum volui, quam, ut publicum aliquod gratitudinis meæ adversum ipsos exstaret Monumentum.

Hos inter primo loco nominandus mihi est Excellentissimus Comes a THOTT, Aulæ Regiæ Minister Primarius, & Regiæ hujus Scientiarum Societatis Præses. Præterquam enim, quod Grammaticam, & Nomenclatorem Leemianum Ei in acceptis referam; Opusculum exhibuit Olai Rudbeckii Filii *Specimen Usus Linguæ Gothicæ* inscriptum, Upsaliæ anno 1717 editum. Inibi fol. 77. Cl. Author Wottonium corrigit dicentem: *Linguam Esthicam, & Letticam dialectos esse Linguæ Fennicæ, Ungaricam vero toto cœlo ab omnibus Europæis differre.* Sic enim habet: " Ungaricam linguam non pro eo, ac par erat, a Viro hoc Cl. examinatam, nec cum Fennica collatam esse facile dixerim, cum ego Ungaricam, & Fennicam linguas tam propinqua cognatione sibi junctas deprehenderim, ut consanguineæ merito dici queant. Quod, ut constet luculentius vocabula hic quædam usu quotidiano trita, atque adeo mutationi, & interitui minus obnoxia recensere volui, ex quibus Ungaricæ linguæ cum Finnica consensus pateat. Qualia sunt. "

Latina.	*Fennica.*	*Ungarica.*	Latina.	*Fennica.*	*Ungarica.*
Nubes.	Pilwi.	Felhö.	*Nox.*	Yö.	E'j.
Nebula.	Suma.	Homály.	*Lux.*	Wallæus.	Világ.
Pluvia.	Sade.	Esö.	*Vesper.*	Etho.	Estve.
Glacies.	Jææ.	Jég.	*Caput.*	Pææ.	Fó.
Pruina.	Hærme.	Harmat.	*Cerebrum.*	Aju.	A'gyvelö.
Hyems.	Tolwi.	Tél.	*Os.*	Suu.	Száj.

Latina.

Digitized by Google

Latina.	*Fennica.*	*Ungarica.*	Latina.	*Fennica.*	*Ungarica.*
Tempora.	Ohauxet.	Vakſzem.	*Piſcis.*	Cala.	Hal.
Gingivæ.	Ikenæ.	Iny.	*Aqua.*	Vezi.	Viz.
Guttur.	Curcku.	Torok.	*Zona.*	Wye.	öv.
Cervix.	Niſca.	Nyak.	*Sera.*	Lucku.	Lakat.
Manus.	Kæſi.	Kéz.	*Lapis.*	Kiwi.	Kö.
Cor.	Sydan.	Sziv.	*Carbo.*	Syſi.	Szén.
Venter.	Vatza.	Has.	*Fides.*	Uſco.	Hit.
Humerus.	Olca.	Váll.	*Culter.*	Vætzi.	Kés.
Axilla.	Cainalon.	Honallya.	*Virga.*	Vitza.	Veſzſzö.
Crus.	Saari.	Szár.	*Puteus.*	Caiwo.	Kút.
Sanguis.	Veri.	Vér.	*Cornu.*	Sarwi.	Szarv.
Fel.	Soppi.	Epe.	*Sagitta.*	Nuoli.	Nyil.
Pulmo.	Tædyt.	Tüdö.	*Picus.*	Kærki.	Harkály.
Hepar.	Maxa.	Máj.	*Hirundo.*	Pæskinen	Fetske.
Lachryma.	Kyne.	Köny.	*Paſſer.*	Warpui.	Veréb.
Auditus.	Cuulemi.	Hallás.	*Cornix.*	Wares.	Szarka.
Crinis.	Huix.	Haj.	*Pediculus.*	Tæi.	Tetö.
Vivus.	Elævenin.	Eleveny.	*Lens. dis*	Saiware.	Sark.
Vita.	Eleme.	E'let.	*Unus.*	Yxi.	Egy.
Animal.	Elein.	A'llat.	*Duo.*	Caxi.	Kettö.
Mors.	Cuolema.	Halál.	*Primordium*	Alcu.	Elei.
Tempus.	Aica.	üdö.	*Folium.*	Lethi.	Levél.
Ventus.	Tuuli.	Szél.	*Radix.*	Juuri.	Gyöker.
Secale.	Ruis.	Ros.	*Arbor.*	Puu.	Fa.
Hordeum.	Ohra.	A'rpa.	*Mane.*	Aamu.	Hajnal.
Butyrum.	Woi.	Vaj	*Cortex.*	Tuohi.	Hej.
Ovum.	Muna.	Mony.	*Janua.*	Owi. uxi.	Ajtó.

Latina.	*Fennica.*	*Ungarica.*	Latina.	*Fennica.*	*Ungarica.*
Cardo.	Sarænæ.	Sark.	*Palus dis.*	Suuo.	Tó.
Perinas.	Tietos.	Tudós.	*Salix.*	Paju.	Füzfa.
Mansuetudo.	Hiliaisus.	Szelidség.	*Armus.*	Lapa.	Lapitzka.
Fur.	Waras.	Orv.	*Rectus.*	Ockio.	Igaz.
Socer.	Appi.	Ipa.	*Curvus.*	Væræx.	Horgas.
Socrus.	Noppi.	Nap.	*Crepida.*	Toffeli.	Tzipelö.
Gener.	Vævy.	Vö.	*Pica.*	Haracka.	Szarka.
Nurus.	Minia.	Meny.	*Cossus.*	Toucka.	Szu.
Orphanus.	Orwoi.	Arva.	*Foramen.*	Laukku.	Lyuk.
Jus.	Ockeus.	Szokás.	*Focus.*	Totto.	Tüz.
Vimen.	Vitzaus.	Vesszö.			

Hactenus Rudbeckius Et licet hoc loco Ungaricam cum Fennica comparet, tamen Pag. 83. illud quoque asserit: *Fennicam cum Lapponica convenire*, laudatque Schefferum idem affirmantem. Unde omnium horum Idioma conspirare manifestum est. Cæterum quia voces Ungaricæ, quas in defectu melioris Lexici e Megissero, & Calepino desumpsit, multum erronee exscriptæ erant, illas hic ad debitam ortographiam reduxi.

Multo elegantius in eandem rem scribit Cl. IHRE, Author Glossarii Suio-Gothici Upsaliæ 1769 recenter editi, & quod opus Benevolentia Illustr. D. a LUXDORFF, Conferentiæ Consiliarii possedi. Author Ille in Procemio suo de Lingua Finnica, & Lapponica sic habet: "Coronidis loco supereſt, ut de Lingua Fen-" nica, quæque ipsam proxima cognatione attingit, Lapponica " non nihil adferam. " Ostendit dein Fennonicam hanc longe vetustiorem esse Gothico Idiomate, utpote quod primum ab Odino has in terras invectum sit Fennones, & Lappones primos Regnorum Borealium Colonos, & Hunnicæ originis autumat. " Non enim arbitror (inquit) alia ratione facile explicari posse, " unde

" unde exſtiterit inſignis illa, quæ inter linguam Ungaricam, & " Fennicam obſervatur affinitas, quæque tanta eſt, ut certa fide " relatum mihi ſit, in nupero bello, quod in Germania geſſi- " mus, milites quosdam Fennicæ Nationis in Ungariam translatos intra perexiguum tempus cum Regionis ejus Incolis col- " loquia miſcere potuiſſe. Obſervavit eandem hanc affinitatem " jam ante me Illuſtris Leibnitzius, & ex illo Egenolphus alii- " que, imprimis vero luculentum vocabulorum Fenno-Ungarico- " rum Catalogum contexuit D. Joannes Velin, Aboenſis olim " Academiæ decus, & meliori fato dignus. Ille nempe, ex Mol- " nári Lexico Ungarico illa collegit, quæ cum Fennonicis con- " ſona animadvertit, quæque plures paginas complent. Breve " hoc ſpecimen adferam."

Ungarica.	Latina.	*Fennica.*
Alá.	*Infra.*	Alla.
Alább.	*Inferius.*	Alambi.
Alóhajtás.	*Dejectio.*	Alaheito.
Alávetem.	*Deficio.*	Alasveti.
Alóhajtom.	*Idem.*	Alasheitam.
Apa.	*Pater.*	Appi. *ſocer.*
Apaſtam.	*Exſicco.*	Paiſta. *torreo.*
Artza.	*Facies.*	Ortza. *frons.*
A'rva.	*Orphanus.*	Orva.
Bab.	*Faba.*	Papu.
Béres.	*Mercenarius.*	Berhe.
Bötke.	*Bulbus.*	Putki.
Tzipö.	*Fœmur.*	Sypi. *ala.*
Dugo.	*Obturaculum.*	Tucko.
E'brén.	*Vigilanter.*	Heræn.
Darabos.	*Aſper.*	Tereve.

Ungarica.	Latina.	*Fennica.*
E'lek.	*Vivo.*	Elle.
E'jeli.	*Nocturnus.*	Eilæn. *beri.*
Elvetem.	*Abjicio.*	Edesveta.
E'nekes.	*Cantor.*	Ænikes.
Evés.	*Esca.*	Evæs. *viaticum.*
E'j.	*Nox.*	Yö.
E'jeli.	*Nocturnus.*	Yöl.
Ez.	*Iste.*	Itze.
Falu.	*Pagus.*	Fala.
Fel.	*Sursum.*	Pæl.
Fél.	*Dimidium.*	Puoli.
Félek.	*Timeo.*	Pelkæ.
Félig eleveny.	*Semivivus.*	Puoli eleve.
Fertö.	*Lacus.*	Virtæ *flumen.*
Fö.	*Caput.*	Pæ.
Föld.	*Terra.*	Peldo. *ager.* &c. &c.

" Ex allatis (prosequitur idem Author) satis constare arbitror, " hasce Regiones, quas tot aliæ Gentes, tot linguæ dissonæ se- " parant, & post tot seculorum dissidium, nihilominus in ser- " mone oppido multa communia habere. . . . Non enim " ut fungi, temere, & inopinato nascuntur vocabula! "

Amplas quoque gratias Illustr. D. a TEMLER Consiliario status me habere profiteor, qui multis Fennicis, & Lapponicis libris commodatis, ad concinnandam Demonstrationem meam præclaro mihi adjumento fuit. Erat hos inter Descriptio Imperii Russici Stockholmiæ anno 1730. Germanice edita a D. Strallenbergio. Author hic Harmoniam linguarum Gentium septentrionalium nobis sistit sane elegantem. Pagina autem operis sui 32 sic

ſic loquitur: " Sciendum eſt, in Europa, & Aſia, qua ſepten-
" trionem & orientem reſpiciunt, ſex claſſes Populorum inve-
" niri, quos paſſim ſub uno Tartarorum Nomine complectimur.
" Sunt hi: *Morduini*, *Scheremiſſæ*, *Permeckii*, *Wotyackii*, *Wogu-*
" *litzii*, *Oſtiaki*, omnes hi olim cum *Finnis*, *Lapponibus*, *Eſthiis*,
" & *Ungaris* unum eundemque populum conſtituerunt. Atque
" ad ſic dictos Hunnos, vel Unnos, qui non erant Tartari per-
" tinebant." In Tabula linguarum Harmonica iterum monet, omnes iſtos ſex populos, reipſa ad *Ungaram*, & *Finnicam* gentem pertinere, & cum his in Idiomate conſpirare. Quod ut oſtenderet, multa vocabula ſex illorum populorum, cum vocabulis Ungaricis, & Fennicis comparat. Ego ſolum Ungarica, & Finnica ab ipſo allata huc tranſcribo.

Latina.	*Ungarica.*	*Fennica.*
Unus.	Egy.	Yx.
Duo.	Kettö.	Kax.
Tria.	Három.	Kolm.
Quatuor.	Négy.	Nellye.
Quinque.	ött.	Vys.
Sex.	Hat.	Kuhs.
Septem.	Hét.	Zeitzeme.
Octo.	Nyoltz.	Kadhexen.
Novem.	Kilentz.	Ydhexen.
Decem.	Tiz.	Kymmene.
DEUS.	Iſten.	Jumala.
Pater.	Atya.	Aja.
Mater.	Anya.	Aiti.
Ignis.	Tüz.	Tuli.
Aqua.	Viz.	Veſi.
Terra.	Mezö.	Ma.

Latina.

Digitized by Google

Latina.	*Ungarica.*	*Fennica.*
Ventus.	Szél.	Tuli.
Oculus.	Szem.	Silme.
Lingua.	Nyelv.	Kyeli.
Vita.	E'let.	Eleme.
Manus.	Kèz.	Käſi.
Pes.	Láb.	Jalka.
Butyrum.	Vaj.	Woi.
Caput.	Fö.	Pææ.
Arbor.	Fa.	Pu.
Collum.	Nyak.	Niska.
Capillus	Haj.	Hiux.
Os.	Száj.	Sui.
Cor.	Sziv.	Sidan.
Piſcis.	Hal.	Kalat.
Pediculus.	Tetö.	Tai.
Nox.	Ej.	Je.
Dies.	Nap.	Bejwa.
Lapis.	Kö.	Kiwi.
Sagitta.	Nyil.	Nuoli.
Gallus.	Kakas.	Kuko.
Foramen.	Lyuk.	Luola.
Ovum.	Mony.	Muna.
Sanguis.	Vér.	Veri.
Cuſtodia.	Warta.	Wartiat.
Hyems.	Tél.	Tolvi.
Cornu.	Szarv.	Szarwi.

Quia

Digitized by Google

Quia vero citati a me modo Triumviri, Rudbeckius nempe Ihreus, & Strallenbergius in Bibliothecis fere tantum reperiuntur, Büſchingium adduxiſſe juvat, cujus Geographia in manibus certe plurimorum verſatur. Is autem de *Finlandia*, & *Finlandis* agens, aperte enunciat linguam ipſorum ſola dialecto differre ab *Eſthica*, & convenire cum lingua *Lapponum*, atque *Ungarorum*.

Büſchingio SCHÖNINGIUM adjungo Scriptorem Danicum, qui in Diſſertatione ſua de origine Gentium ſeptentrionalium erudite conſcripta, & anno 1769. Danice edita, in fine Capitis I. mentem quorundam de origine Regni Ungariæ refert. Tum in *Nota* ſubjungit: *Iis innititur, quod quidam Finnos, & Ungaros ejusdem originis eſſe exiſtiment.* Quia vero eodem in loco citatur *Diſſertatio* D. Wöldike *de convenientia linguæ Ungaricæ cum Grönlandica*, monendum Lectorem duxi, a D. Wöldike nequaquam hanc convenientiam aſſertam fuiſſe. Habui Diſſertationem ipſam ab Illuſtr. D. Chriſtiano HORREBOWIO Conſiliario Status, Univerſitatisque hujus Aſtronomo, (& cujus ego magna humanitatis, atque benevolentiæ documenta grata ſemper memoria recolam) mihi commodatam. Titulus operis eſt: *De origine Linguæ Grönlandicæ, ejusque a Cæteris linguis differentia.* Neque ipſe Author ex pauculis illis, quæ Grönlandi cum Ungaris habent communia, inferre ſuſtinet: *Eorum Idioma unum, idemque unquam fuiſſe.* Diligenter præterea perluſtravi tum Grammaticam, tum Lexicon Grönlandicum a Cl. D. Paulo EGEDE linguæ Grönlandicæ Profeſſore editum, vidique omnino, Idioma Ungaricum a Grönlandico penitus eſſe diverſum.

Jam Demonſtratio hæc mea typis exſcribenda erat, cum Illuſtr. D. a SUHM Conferentiæ Conſiliarius, nova benevolentiæ ſuæ ſignificatione libellum mihi ſubmiſit hoc plane anno 1770. recentiſſime Göttingæ editum, nempe: Fiſcheri *quæſtiones Petropolitanas.* In iis Author ſic loquitur: "Scythas vero, & proprio nomine "compello, qui Scythice loquntur, loquntur autem Scythice *Eſthii*, "*Fenni*, *Lappones*, *Syrani*, *Permii*, *Morduini*, *Tseremiſſi*, *Voti*, "*Voguli*. &c. &c. Hi omnes communem inter ſe linquam habent,

 "varietate

" varietate dialectorum ita discretam, ut tamen communem om-
" nium matrem facile agnoscas." Subjungit dein tabellam Harmonicam Vocabulorum his Gentibus usitatorum eaque Ungarica esse ostendit. Quæ quidem omnia ex Strallenbergio desumpta esse intelliguntur. Opinionem autem, quam de origine Ungrorum (Ungarorum) Fischerus adfert, non probo. Sententiam veriorem longe a R. Patre Maximiliano HELL edocebimur, cum opus suum *Litterariæ Expeditionis* erudito orbi communicaverit. *Hæc Typographo tardius submisi isto præcipue loco inserenda.*

Ex his itaque patere puto, assertum meum non ita novum esse, ut non jam ante me publicis aliorum monumentis fuerit consignatum. Quia tamen necessariæ demonstrationis defectu laborabat, minus quam par est, Eruditorum animos advertit. An assertis Illorum quidpiam detulerit P. Georgius PRAY *Annalium Ungariæ* Clarissimus scriptor, nunc quidem non habeo dicere. Neque novi mentem R. P. Stephani KAPRINAI de S. J. Viri in re litteraria Ungarica versatissimi. Reliqui certe Ungari scriptores, inter quos eminet Innocentius DESERICIUS Scholarum Piarum Presbyter Doctrina, & Virtute Illustris, tum BELIUS Ungariæ quoque Topographiæ, longe elegantissimæ Author, item Tymon, Hevenyessius, Otrokotsius, Turotzius, Istvánfius, Bonfinius &c. altum de Finnis, & Lapponibus (quod quidem sciam) silent, tacentque. Unius MOLNARII Verba, quia plena Candoris, & Sinceritatis, adducere placet. Is, postquam Patriam linguam insigni Lexico Latino-Græco Ungarico illustravit, Grammaticam conscripsit Ungaricam Hanoviæ editam, neque mihi visam ante, quam ab Illustr. D. de LANGEBECK Justitiæ Consiliario cum pluribus aliis libellis, mihi perquam utilibus esset communicata. In Præfatione ad hanc Grammaticam sic scribit Author: "Si quis ex me quærat, ad quam
" originalem linguam Ungarica referenda sit? vel cum quibus ha-
" beat cognationem? me nescire fatebor. Video enim eos, qui
" hoc tempore Thesauros Poliglottos edunt, & linguas quasque
" in suas origines & classes referunt, Ungaricam semper in medio
" relinquere. Cum Europæis nullam connexionem habere hanc
" nostram certum est. An vero in Scythicis Asiæ finibus, super-
" sint

" ſint Gentes aliquæ noſtra lingua Hunnica utentes? juxta cum " ignariſſimis ſcio." Hæc Molnárius Ungarus! Sed aliter poſthac Gentiles meos ea de re ſcripturos puto.

Interea ſi Illuſtriſſima Regia ſcientiarum SOCIETAS Demonſtrationem hanc meam graviſſimo ſuo Judicio comprobaverit, & candidis dignam calculis cenſuerit, mihi quidem magnopere gratulabor. At fructus, qui in rem Litterariam præſertim Hiſtoricam inde enaſcentur uberrimi, uni R. Patri Maximiliano HELL in acceptis erunt referendi. ILLE me ſecum in Finmarchiæ oras ſponte detulit. ILLE, ut Diſquiſitionem aggrederer, primus admonuit. ILLE, ut inchoatam continuarem, hortator acceſſit. ILLE, ut continuatam ad finem usque deducere poſſem, præſtito otio, ſubminiſtrato conſilio, interpoſita Auctoritate perfecit. Tot titulis ad ILLUM hoc opus pertinet! Qui una mecum DEUM Optimum, Maximum exorare non deſinet, ut Gentes hasce omnes, ad communis boni emolumentum, ad Principum ſuorum ſolatium, ad Majorem Divini Sui Nominis Gloriam, Pios, Felices, Florentes reddat, & diutiſſime ſervet.

Digitized by Google

Pag.	*Lin.*	*Loco.*	*Legr.*
13.	30.	*P*,	*G.*
19.	19.	*P*,	*G.*
-	22.	*P*,	*G.*
31.	4.	731-788.	371. 388.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google